DE AVITIS

MAGYARORVM

AC

CHVNORVM, IASONVMQVE

HVNGARIAE

ACCOLARUM

SEDIBUS ET INITIIS

DISQVISIVIT

GEORGIVS FEJÉR

BIBLIOTHECARIVS REGIVS

BUDAE

TYPIS TYPOGR. REGIAE VNIVERSITATIS VNGARICAE

1830.

Quinam aliquando Turcae fuerint, et vnde principio egressi, terram, quam nunc incolunt, occupauerint, non adeo dictu facile est: nam non idem omnibus conuenit, qui ante nos scripserunt. Et, quod neque affirmatur, neque vna assertione probatur saepe saepius, non solum quae in controuersia sunt, sed clara etiam, et aperta in dubium vertit. "

Theodorus Gaza.

Ad Lectorem.

Magyarorum, ac Chunorum Iasonumque, Hungariae Accolarum, sedibus auitis, et ortu indagatis, grauem, ac industria superiorem sumsi laborem: nec enim Maiores nostri, quum in hunc sese orbem reconditis de cunabulis intulerant, litteris quidpiam duxerant consignandum; sed neque exteri, Graeci Latinique quidpiam accurati poterant iis in perturbatissimis bellorum, ac gentium inuicem commissarum temporibus adnotare. Aegre quippe tum Maiores nostros vel Mercatores, quorum fide vetustissimae sunt instructae Historiae, poterant adire; minus adhuc eorum consuetudine potiri, ex ipsisque percontari; minime omnium intelligere licuit: inusitata videlicet vulgatos feritate, ac sermone vsos admodum peregrino, proin formidabiles et inaccessos.

Qui moliti sunt opus hoc grande, pro temporum, quae viuebant, more, opiniones quasdam e quocunque audito assumentes, multos in suosmet induxerant errores: gentes eas sine conditoribus, sine laribus, vagas, neque liberas, et quidquid insolitum erat, ad suam indolem, affectus et studia depinxerunt; quod de Historicis primis animaduer-

tit in genere Dionysius Halicarnassius Libro I. Alios ostentandae eloquentiae causa, alios, quo gratiam Suis facerent, paucissimos re ipsa, ne euentus memorabiles in obscuro sinant latere, ad hoc studiorum se genus applicuisse, monuit Ios. Flauius Antiquitatum Iudaicarum L. I. cap. 1.

Magno Historicae veritatis dispendio accidit etiam, Scriptores, tam Graecos quam Latinos, gentes, quarum in monumentis suis memoriam intersperserant, proprii nominis incurios, vocabulis pro lubitu, aut vsu vulgari, compellasse communibus. Sic Magyaros nostrates: Vgros, Vngros, Vnguros, Turcos, Vnnos, Sabartaeasphalos, Paenoes, Dacos, Scythas, Parthos, Gepaedas, Auares, Hungaros, Agarenos cognominarunt. Varium, ambiguumque adhuc magis nomen obtigit Chunis: Scytharum, Vnnorum, Hunnorum, Turcorum, Auarum, Gepaedum, Vzorum, Hungarorum, Comanorum; tum a peculiari stirpe, vel tribu suorum: Agatziri, Vittores, Burgundi, Ephtalitae, Cidaritae, Vturguri, Cuturguri, Vtriguri, Vguri, Vltiziri, Sabiri, Saraguri, Bosphorii, Massagetae, Sarselt etc. et quae horum e varietate vberrima prodierunt, nominati. Gentium, quarum in vicinia nostrates agitabant, Sinensium, Persarum, Armenorum, Arabum, Mongolum, Tartarorum et Turcarum Scriptores sunt oppido pauci nobis cogniti; et qui linguis cultioribus donati, naeuis, quorum meminimus, neutiquam immunes; in rebus suis mythologicis, Dynastarum Genealogiis, aut fortunarum suarum conuulsionibus prodendis occupantur. Ex Elmacini, Abulfedae, Abulgazii, Chungstaidschii monumentis vix aliquis hac in re prouentus.

Ex Encyclopaedia per Gentilem nostrum, Csomaium de Körös, Tibeti detectis, Manuscriptis item Persicis in Erzerum, Turcicis Adrianopoli repertis, certius ne lucrum? Quae Scriptores nostri, Gesta Hungarorum Belae Notarii, Chronicon Thurocii, Simonis Kezae, Bonfinii, Olahi etc. de Magyarorum et Chunorum sedibus priscis, ortuque iactant, nescias, quibus e tabulariis depromserint. Exterorum, qui patrii idiomatis expertes id super dixerunt, sententiae vltra coniecturas neutiquam assurgunt.

Quod nihilominus salebrosam adeo syluam, runcandorum errorum gratia, ingredi praesumserim, nouo quodam monumento, quod RR. Prayo praesidio fuerat, destitutus, temerarium videri iure posset; ni respectus quidam studiis quoque meis suffragarentur. Vir Cl. ac Doctissimus Ios. Innoc. Desericius, insigni et perantiquo Manuscripto, e Vaticana Bibliotheca eruto, vt tenebris, quae Maiorum nostrorum origines tegunt, lucem accendat, animum sumsit, controuertente nemine; suppetunt mihi quoque monumenta quaepiam, in Codice Diplomatico producta, quorum vsus necdum factus est. Pulsabat insuper animum Clarissimorum Virorum, Georgii Pray ac Stephani Katona, qui studia mea ante quinquaginta prope annos moderabantur, pia recordatio, atque vt ipsorum in Historiis merita, hoc Vniuersitatis regiae Hungaricae restauratae curriculo semiseculari penso quodam recolerem, exigebat.

In quo quidem specimine hanc duxi tenendam rationem: vt Virorum, qui Nostratium sedes pri-

scas ac origines elaboratiori cura ad haec vsque tempora lustrarunt, sententias fideliter exhiberem; tum Magyarorum primum, Chunorum atque Iasonum dein incunabula spectanda sisterem; de ipsarum denique cognatione iudicium non tam informarem, quam ferendum Lectoribus relinquerem. Idque maximo, quo fieri potest, compendio, ac testimoniis quam probatissimis conficerem. E vocum etymo sumtis argumentis abstinui: „Molestus quippe labor est nominum reddere Etymon, quae saepe aut casus inuenit, aut sine vlla ratione vulgus imposuit" ait Mat. Bel. Tom. III. p. 166. Vniuersam gentis nostrae antiquitatem, formamque reip. propter quosdam, qui scriptis suis veritatem deprauauerant, enarrare, a praesentis alienum erat opusculi instituto.

I. Diuersae de Magyarorum et Chunorum auitis sedibus, et initiis Scriptorum Sententiae.

§. 1. „Rerum, originumque Hungaricarum materiam centum quidem Auctores exequutos: ast simul totidem propemodum diuerse opinatos, plurima etiam, nedum sub ementita veri specie, sed inepte quoque ac insolenter affinxisse, ac commentos fuisse: alios quidem ignorantia, alios perfunctorio, et quaelibet facile arripiente scribendi pruritu, alios vetustorum codicum penuria, alios demum iniuria, odioque; aut prorsus erronea, aut inuoluta admodum et ambigua, tandem et absona ac portentuosa, quin etiam conuitii plena de Maiorum nostrorum ortu, sedibus pristinis, ac natalibus prodidisse multorumque imperitiae imposuisse" quum comperisset Ios. Innoc. Desericius. Hung. Nitrien. Clericus Regularis Scholarum Piarum; animum primus sumsit Maiorum gesta, et antiquorum res temporum de industria illustrandi, scripsitque: De initiis ac maioribus Hungarorum commentaria Tomis V. Budae typis Veronicae Nottensteinin viduae A. MDCCXLVIII. Tom. II. Ibi typis Leop. Fran. Landerer, 'A. MDCCLIII. Tom. III. A. MDCC. L. IV. Tomus IV. V. Pestini typis Eizenberger MDCCC. L. X. — 1. in folio.

§. 2. Pari ferme impulsu ad scribendum se accinxit Georgius Pray, Societatis Iesu Sacerdos: „Argumentum (Originis Hunnorum et Hungarorum) cum a domesticis tum exteris quoque Scri-

ptoribus magna cura, nec indiligenter tractatum — certe inficetis fabulis scatet: quaedam in eo nulla prope modum, aut manifesto falsa auctoritate nituntur; hiant multa, sublestae fidei pleraque sunt, vt adeo, cum in tam diuersa abeunt, qui aliquid de ea in litteris consignarunt, rem videantur in obscuro potius quam in luce posuisse — Opus Innoc. Desericii Cl. Reg. Piarum Scholarum, quod de initiis ac maioribus Hungarorum edidit — legi auide ac diligenter; vidique opus sane eruditum, et magna conscriptum esse cura: Cum autem de gentis nostrae origine nihil aliud dici viderem, quam quod in Graecis Scriptoribus alias legeram, idque ob tenues, ac incertas coniecturas non omnibus probari; tantum abest, cupidini meae vt fecerim satis, vt nouo etiam ac maiori ad inquirendam Hunnorum originem desiderio accenderer; praesertim quod scirem Clarissimum aetatis nostrae virum, Deguinesium, olim de Hunnorum ortu ex Sinicis annalibus illustrando operis quiddam meditatum, nunc autem sub prelo esse, ac lucem prope diem visurum.“ Annales veteres Hunnorum, Auarum, et Hungarorum. Vindobonae A. M.DCC. LXI in folio Praef. pag. I. II.

§. 3. Scilicet duumuiri, pari vtut instructi apparatu, post operosas inuestigationes, commentationesque, in diuergentes hoc in argumento abierunt sententias. Clarissimus quidem D e s e r i c i u s Hunnorum et Hungarorum priscas sedes in Scythia orientali, post alterum latus Caspii seu Hircani maris, vsque ad Seres, Indos et Persas fixit. Com. L. II. Cap. V. VI. et VII. Eosdem cum Finnis seu Fennis, Turcarum propinguos, minus adhuc Tartarorum, inficiatus est. In Parergo p. 95. Libro

item I. Cap. IX. et X. Hungaros ab Hunnis ortos, e Hungariaque Magna egressos in Europam censuit L. II. Cap. IV. pag. 151. Ibid. in Nota. cap. V. et VI per totum. Cl. Prayus ex aduerso Hunnos per Armeniae ac Georgiae montes eluctatos Tartariam (modernam) incoluisse, a Sinis Hiongnu dictos, imperium Sinis coaeum fundasse; fortunarum suarum lapsu a Topais Tartaris ad Volgam fluuium retrusos, illo traiecto, et Alanis, Gothisque victis ad petendam Europam impulsos fuisse. Annal. p. 8. — 64. Hungaros, olim Hunugarorum nomine cognitos, e Hunnorum reliquiis, per Graecos et Sinicos Scriptores passim Turcis appellatis, conflatos, a Tartaris Hoeikiis ad Volgam fluuium itidem protrusos, Duce Almo hunc transgressos, atque per Pacinacitas in Daciam, Iazygiam, Pannoniamque veterem propulsos fuisse." Ibid. p. 295. — 217.

§. 4. Hac ex Doctissimorum Virorum dissensione velitationes quoque litterariae sunt exortae: quas RR. Pray sic enarrat: „Hunnorum incunabula in Tartaria Chinae ad Septemtrionem obiecta constitui Sinicorum in primis auctoritate, et quos vicinae Sinis gentes habent, annalium fide nixus: huius (Deguignesii) ego Sententiam olim amplexus, idem dum annales Hunnicos molirer, affirmabam et pleraque illius, resectis quibusdam, quae mihi ad institutum non pertinere videbantur, in compendium redegi. Extemplo aduersarium, quod illi non consentirem, nactus sum R. P. Innoc. Desericium, Clericum regularem e Scholis piis, virum imprimis doctum; quippe qui de initiis et Maioribus Hungarorum bene multa ante me commentatus est, tum gestis apud Suos magistratibus etiam clarum. Semel atque iterum alternis respon-

debamus; ille duabus Dissertationibus, ego epistola (A. 1761.) et breui ad eius postremam dissertationem commentariolo (A. 1262.) Ille hinc obiit." Dissertat. Hist. criticarum in annales veteres Hunn. Auar. et Hungarorum VIII. §. 1. p. 174. — Concertationum harum sic meminit Clar. Desericius: (Dissert. 1-ma p. 24.) „Hungarorum ego res ante Te impenso studio erutas atque ordinatas in lucem protuleram. Tu assumto eodem argumento nouam formam inducens, praemittis sane prolixam ex Deguinesio Gallo, nuper edito, acceptam. In cuius dissertationis ductu tractuque impendio magis eniteris, vt nobis Hungaris persuadeas: Turcos primigenios ex veterum Hunnorum reliquiis enatos fuisse; atque ex his dein Turcis processisse Hungaros, qui primi Ducibus Arpado, et ceteris in has oras aduenerunt. Cuiusmodi opinationi ego libri I. Cap. IX. totis brachiis obstiteram." Item Dissertat. II. p. 1. „Videmur duo nos et mutuum scabere: quoniam laudibus nos mutuis suaue fricamus, et mutuum arrodimus; quoniam sin minus maxillaribus, primoribus saltim aduersus nos agimus. Tu coepisti in annalibus tuis Hunnicis, dum ego Te ne de fama quidem noram; iterasti, postquam ego commentaria mea de Hunnorum initiis moderata Dissertat. Apolegetica defensassem; iterasti inquam epistola Tua prolixa superiori anno Tyrnauiae vulgata."

§. 5. Disceptationibus his litterariis profectum est nihil: eruditorum virorum vterque suae inhaesit sententiae: Desericius quidem de Hunnis: „Ego Hunnorum nostrorum primaeuos parentes ac Genearchas, vltra Araxem amnem, sub monte Gordiaco, Hebraeis Ararat dicto, in quo arca constiterat, oriri coepisse; illic, post Diluuium,

primum omnium regnum habuisse; indidem, aliquot post linguarum confusionem annis, migrationem suscepisse, duxisseque colonias Pontum versus, Caucasumque, atque porro vsque ad Volgam flumen, supraque et vltra mare Caspium sensim sese promouisse vsque ad Indos, siue Sinas; ego inquam ista non Graecis solum, sed ex aliarum quoque gentium probatis Scriptoribus, ac vetustissimis monumentis perhibere sum enisus" Diss. I. p. 3. De Hungaris; Quum post Volgae ostia, versus Iaxartem, vltraque vsque s. l. Oxum fluuium, Seresque ac Indos et Sinas fuerint ab antiquissimis temporibus magna Hunnorum imperia in spatium plus quam 400. nostrorum milliarium extensa ad vsque Gangem, inter secantem terras Indorum; — cumque iis in oris Praedicatorum peregrinatio, Vngarorum Pannoniorum cognatos, natiuis vtpote sedibus, Belae IV. tempestate repererit, eadem nobiscum lingua vsos et necessitudinem cum nostris sponte agnoscentes; pertinax sit, qui inficietur Vngaros ex Vnnis ortum duxisse — Eadem gens ex varii generis propaginibus adunata non amplius sub communi vocabulo Hunnorum, sed peculiari Magyarornm, tertiam emigrationem adornauerunt, atque auspicati sunt." Operis citati Lib. V. parte III. 142. — 3.

Inhaesit Sententiae Suae RR. Prayus quoque: „De Hunnorum origine ita olim commentatus sum, vt eos, Cl. Deguinesium secutus, ex vltima Tartaria, Chinae ad Septemtrionem opposita, sensim ad occasum adducerem, quod in Europa consisterent. Neque enim muto sententiam: Sinensium imprimis, tum Graecorum etiam Annalium fide adductus, quiduis contra hactenus aliqui, parum au-

spicato conatu, obmutiuerint." Diss. Critic. I. §. 1. „De Hungaris: Hungaros ex interiori Asia venisse, consentio etiamnum Deguignesio. — In varias tribus per Asiam dispersi pars illorum ad fluuium Irtisch primum consedit — inde, vrgentibus ab ortu aliis populis, sensim ad Iaicum et Volgam progresi domicilium hic fixere." Historiae Regum Hungariae Parte I. §. I. edit Bud. A. 1801.

§. 6. Qui Historiam Patriae in regia Scientiarum Vniuersitate Hungarica sunt professi: vt in re fit ambigua, Duum virorum, quos laudauimus, sententias plus minus sunt amplexi. Celeberrimus Historicus noster, Stephanus Katona, totam de origine Hunnorum quaestionem postremum in medio relinquens, in auitis Attilanorum sedibus Ammiani Marcellini auctoritati subscripsit: „Iuuat de his, inquit, Ammianum Marcellinum, testem Synchronum, audire; qui sedes ipsorum ac mores ita depingit (Lib. XXXI. cap. II.) „Hunnorum gens, monumentis veteribus leuiter nota, vltra paludes Maeoticas, glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit." Historiae M. Ecclesiae Colocensis Prodromo. P. I. p. 46. His proin in sententiam Consocii sui, qui ipsos ex vltima Tartaria, Chinae ad Septemtrionem opposita, eduxit, transiit. Quod auitas Hungarorum sedes respicit, anonymi Belae Regis Notarii auctoritatem sequutus ait: „Vnde Hungari suam originem duxerint; cur auitas sedes suas deseruerint, Anonymus Belae Notarius in litteras ita retulit: „Gens itaque fortissima, et bellorum laboribus potentissima, — de gente Scythica duxit originem. Et terra illa nimis erat plena ex multitudine populorum, inibi generata; vt nec alere suos sufficeret, nec cape-

re. Quapropter tunc septem principales personae — angusta locorum non ferentes — Anno Christi DCCCLXXXIV. Etil, seu Volgam transmiserunt." Ibid. p. 96. His ex aduerso Innoc. Desericii sententiae est adstipulatus.

Cl. ac Doctissimus Daniel Cornides: Hunnos Attilanos, post Anonymum Belae Notarium, e borealibus Russici Imperii plagis eduxit, defenditque Ammiani Marcellini, ac Claudiani auctoritate; in illius Vindiciis p. 264. Eumdem Notarium secutus Maiorum nostrorum sedes auitas in Russici Imperii tractu septemtrionali, quam Dentu-Moger, vocat, hoc est Donensem Mogeriam, a Don seu Tanai fluuio ad Pontum vsque porrectum, seu intra Russici Imperii fines esse quaerendas, ait; consensitque cum Desericio, ac Katonaio.

Cl. Ios. Alo. Kereszturi, Historiarum in regio Scientiarum Athenaeo Pestini itidem Professor: quod est ad primaeuas Maiorum nostrorum sedes ac origines: Cl. Katonai sententiam in Historia critica Ducum Hungariae expressam secutus, ipsos ab Hunnis Vturguris, secundum Theophanem occiso rege suo Gorda, e claustris Caucasi ad partes Trans-volganas profugis repetit; qui mutuato a Rege suo Moagere Magyarorum nomine subin Pannoniam petierint. Dissertatione Historico-Critica II. et III. Sicque Hungaros et Hunnos Vturguros eosdem fecit.

§. 7. Procul ab his diuergunt duorum in Academia, vt vocamus, Regia Posoniensi Professorum sententiae: Historiae regni Hungariae e probatissimis Scriptoribus deductae Auctor (Alo. Belnay) Poson. 1804. „Graues, inquit, rationes suadent, vt credamus Attilam et Hunnos fuisse Cal-

mucos (p. 10.) „Neque peccabimus, si Hungaros a Fennicis Populis deriuauerimus; aut saltem affinitatem eos inter et Hungaros intercessisse adfirmauerimus.“ p. 14.

Alter Gregor. Dankovszky, ibidem linguae Graecae Magister: „Equidem, inquit, fontibus exhaustis monumentum posui, quod dum Tabulae fidem habebunt,' firmum stabit. Nec amplius viri graecarum literarum periti de Hungarorum sedibus priscis, eorumque origine ambigent, sed hoc efferent clarum oraculum (!!!): Hungaros esse genere Hunnos, olim terrae supra Caucasios montes potitos“ Hungarae constitutionis origines, Posonii 1826. in Praef. Hungarae gentis autem cognomen, originem genuinam, sedesque priscas a Hunnis Sabiris deducit opusculis An. 1825—6. editis.

§. 8. Duo adhuc viri, domi forisque celebres, hac in quaestione audiendi: Cl. Ch. Engel: „Die Magyaren sind eine uralte asiatische Nomaden-Fischer- und Jäger-Nation. Ihre Sprache hat zwar einzelne Wörter, und bedeutende Regeln des inneren Sprachbaues sowohl mit der hebräischen, und den übrigen sogenannten orientalischen, eigentlich semitischen, als auch mit den Finnischen Sprachen gemein; aber sie kann doch eigentlich für keine Tochter weder der finnischen, noch der semitisch-orientalischen Sprachen gehalten werden — Die Magyaren blieben lange in dem rohen Zustande einfacher Nomaden, und in der Weltgeschichte ungenannt; denn sehr frühe, uns unbekannte, Begebenheiten hatten sie, und die Finnischen Nationen in den rauhen Norden Asiens hinaufgedrängt. In den Sibirischen

Wäldern und Steppen blieben sie auf der ersten Stufe der Cultur, wie die Finnen. — Sie selbst nannten sich Magyaren, wie sie auch Abulfeda nennt; aber bey ihren Slavischen Nachbarn erhielten sie den Namen Ugri, und ihr Land hiess Ugorien, oder Jugurien — das heisst das Land zwischen dem Uralischen Gebirge, dem Obi und der Sinja. — Von Ugri wird durch das eingeschobene n das Wort Unger formirt, welches daher natürlicher, und der Rechtschreibung gemässer ist, als der gezerrte Mönchsname Hungaria Hungarn, oder Ungarn: der den Knittelversen zu lieb erfunden worden, damit man singen konnte:

Felix ergo Hungaria,
Cui dona data sunt varia.

Die bekannte Geschichte lehrt sie uns zuerst in diesen Sitzen, vorzüglich am Terekflusse (der auf der Nordseite des Caucasus entspringt, und sich in die Westseite des Caspischen Meeres ergiest) kennen, — und von diesem Terekflusse haben die Magyaren bey den älteren Bizantinern — den Namen Türken erhalten, ohne mit den wirklichen späteren Türken einnerley Stammes su seyn" Geschichte des Ungrischen Reichs Wien 1813. I. Theil. p. 51 — 3.

Alter: J. A. Fessler ait: „Die Richtungen von den Quellen des Amurstromes bis an das Altai Gebürge, und darüber weg, längst dem Flusse Sir, gegen die Nordöstliche Küste des Caspischen Meeres hatte kurz vor der Christlichen Zeitrechnung jener Mongolische Völkerschwarm Sitz genommen, welcher nochmals Griechen und Römern unter der Benennung *χουνοι*, Hunni bekannt, gegen Ende des vierten Jahrhunderts dem Glücke der Gothen

und dem Römischen Reiche so verderblich geworden ist." S. 14. „Finnenwelt, welche von dem Eismeere bis an den Ural herabreichte, und vom Don und der Düna bis an den Irtisch ausgebreitet war: — hier weideten einmahl auch Pannoniens nachmahlige und letzte Eroberer, welche sich selbst, bis auf den heutigen Tag Magyarok, vielleicht von dem Wurzelwort Mag, Kern (des Heeres) oder von Magas, hoch nennen; von ihren Finnischen Nachbarn Ugern und Ugrier, von Ugor hoch; von wohl unterrichteten Griechen *Ουγγροι*, von Lateinern Ungri, von Slaven Uhri, und Vengri; von Unwissenden *Ουννοι*, und Hunni, und Scythen genannt wurden." Ibid. p. 175.

II. De Magyarorum auitis sedibus, et initiis.

§. 9. Vt tam diuergentes Scriptorum sententiae concilientur aut refellantur; videndum imprimis: an non Magyaris, more orientalium nationum, aliae et aliae sedes fuerint? et quaenam illae? Cum Graecorum, Latinorumue Scriptorum de iis testimonia sint ambigua, aut indeterminata; an non ex Itinerantium litteris, qui oras illas lustrarunt, e aedem illustrari, determinarique possint? Quo in argumento ita versabimur, vt sedes ipsorum, e quibus proxime egressi sunt, inuestigemus; tum vlteriores ac vlteriores, quamdiu relationes fide dignae nos non defecerint, debita circumspectione inquiramus.

§. 10. Regiones inter Volgam et Irtis fluuios exporrectas, nomine Hungariae Magnae co-

gnitas olim fuisse, litterae nostrae maximo consensu asseuerant.

1.) „Inuentum fuit in Gestis Vngarorum, inquit MS. Richardi, quod esset Vngaria maior, de qua septem Duces cum populis suis egressi fuerant, vt habitandi quaererent sibi locum; eo quod ipsorum terra multitudinem inhabitantium sustinere non posset. — Fratres Praedicatores iis in gestis Vngarorum inuentis, compassi Vngaris, a quibus se descendisse nouerunt, quod adhuc in errore infidelitatis manerent, miserunt quatuor de fratribus ad illos quaerendum, vbicunque possent eos, iuuante Domino, inuenire. — Frater Iulianus inuenit eos iuxta fluuium magnum Ethil — Omnino habebant Hungaricum idioma, et intelligebant eum et ipse eos. — Sciunt etiam per reuelationes antiquorum, quod isti Vngari ab ipsis descenderant, sed vbi essent, ignorabant. Gens Tartara vicina est eis (ad orientem); vltra terram Tartarorum est gens multa nimis (Mongolum) quae de terra sua exire proponit, pugnaturi cum omnibus aliis, qui eis resistere voluerint, et vastaturi omnia regna, quaecunque poterunt subiugare. Terra Ruthenorum est media inter Vngaros Christianos et illos. Frater Iulianus in redeundo de praedicta Vngaria transiuit in fluuio (Etil) regnum Morduanorum quindecim diebus; Magna Sandomeria, terra Ruthenorum, vicina est his.“ Vid. Cod. Dipl. Tomo IV. Vol. I. p. 50—57. *)

*) Manuscriptum hoc inscribitur: De facto Vngariae Magnae, a F. Ricardo, Ordinis FF. Praedicatorum, inuento, tempore Gregorii PP. IX. — Fratrem hunc Richardum FF. Praedicatorum in Hungaria Visitatorem, aut Commissarium fuisse, qui quatuor Fratres Domi-

nicanos ex Hungaria iussu Belae IV. Regis circa annum 1236. expediuerit, atque postea, in reditu ex ore Fratris Iuliani narrationem exceperit, praesentique Manuscripto posterorum memoriae commendauerit, credibile. Gesta autem Hungarorum, quorum meminit, sunt Anonymi Belae R. N. Historia Hungarica de septem ducibus inscripta; hunc sub Bela II. vixisse, adeoque Nestori, Russorum Scriptori, coaeuum, aut supparem fuisse, erroneeque Anonymum dici, docui in Tudományos Gyűjtemény. A. 1828. Ternione II.

2.) „Terra, inquit Ioannes a Plano Carpini *) praedicta Tartarorum (Mongolum) positam habet ab oriente Terram Kytaiorum (Sinensium) et etiam Solangorum (Buchariam magnam); a meridie sunt Saracenorum; inter occidentem ac meridiem Hugrorum (Turchestan) Iidem (Tartaro Mongoles) Hungariam destruxerunt. — Inde reuertentes iuerunt in terram Morduanorum, et hos bello vicerunt. Inde procedentes contra Bileros, idest Bulgariam magnam, et ipsam destruxerunt omnino; inde procedentes ad aquilonem adhuc contra Bascart, hoc est: Hungariam magnam, eos etiam deuicerunt." — Inter terras item victas refert infra post Bulgariam magnam, et Kergis etiam: Bascart, Magnam Hungariam." Vide Tom. IV. Vol. I. p. 427 — 8.

*) Ioannes a Plano Carpini A. 1246. est ab Innocentio IV. PP. ad Tartaros, qui Hungariam destruxerant, missus.

3.) „Terra, inquit Ascellinus *) Comanorum, quae tota est plana, et flumina quatuor habet magna: primum appellatur Neper (veteribus Boristhenes), secundum appellatur Don (Tanais) tertium dicitur Volga (Rha, ab antiquissimo eius

nomine Araxes, orientalibus Etil), quartum nominatur Iaëc (hodie Ural). Ibamus per Comaniam equitando fortissime. Haec Comania ab Aquilone immediate post Russiam habet Morduynos, Bileros, idest magnam Bulgariam, Bastarcos, idest: magnam Hungariam; post Bastarcos Parosytas et Samogetas." Vide Tomo IV. Vol. I. p. 431—3.

*) Ascellinus erat socius itineris Ioannis a Plano Carpini.

4.) „De Russia, inquit Fr. Wil. de Rubruquis, *) de Moxel, et maiore Bulgaria, et Pascatir, quae est maior Hungaria, et Kersis — quae omnes sunt regiones ad Aquilonem et plenae syluis — et aliis multis regionibus ad latus aquilonare, adducuntur eis (Tartaro-Mongolibus) pelles pretiosae multi generis, quas nusquam vidi in partibus nostris." V. Tom. IV. Vol. II. p. 265.

*) Wilhelmus Rubruquis a Ludouico IX. Galliae Rege missus est ad eosdem Tartaros cir. A. 1252.

§. 11. Hungariam hanc magnam non plane ignorauerant Historici nostri: Simon a Keza ait: Scythicum regnum comprehensione vna cingitur, sed in regna tria diuiditur: Barbariam (MS. Basçardiam) scilicet, Dentiam et Magariam (MS. Magoriam) diuidi. — Ab oriente Scythico regno Iurianorum regnum et post haec Tarsiam, tandem Mongoliam iungi." Chronicon Hungar. P. I. C. V. p. 49. „Scythiae Bessos et Comanos Albos vicinari; ab occidente vsque Susdaliam desertum esse syluestre" ait. p. 50. Chronicon autem Budense MS. quod explicit anno ante caedem Carolo Roberto R. H. intentatam, „in Pa-

scardiam, Dentiam et Mogoriam" auitas Magyarorum sedes diuidit. — Consentit Constantinus Porphyrogenneta: „Sciendum, inquit: Pacinacitas a principio ad Atel et Geich flumina habitasse; iisque conterminos fuisse populos illos, qui Mazari atque Vzi cognominantur" de adm. Imp. C. XXXVIII. Tum Abulgazus, de Kibgjak agens in haec verba ait: „Huic, postquam adoleuit, Ogus copias tradidit, vt et Rusch, et Olack, et Magyar, et Baschir, qui iuxta Tin et Atil, et Jaik colebant, debellaret." Bayer Geograph. Russ. p. 385. Non videtur eapropter dubium esse: per nomina Bastardiae, Bachardiae, Bascardiae, Boscardiae; item Bascart Plani Carpini, Bastarcos Ascellini, Bascatir Rubruquisii; tum per Mogoriam, Magariam, ac Mazariam Constantini Porph. vnam eamdemque Hungariam magnam, auitam Magyarorum sedem, seu plagas, quas hodie Casanense regnum, et magnus Permiae Ducatus occupant, diffusas intelligi. *)

*) Simon de Keza floruit sub medio seculi XIII. Chronicon suum finiit cum victoria de Ottocaro B. R. A. 1278. relata. Chronicon Thuroczii conuenit cum Chronico Budensi, quod finiit ante caedem Carolo Roberto R. H. intentatam. Constantinus Porphyrogenneta, Leonis Sapientis filius, scripsit 949. circiter.

§. 12. Ex hac Hungaria Magna educunt Maiores nostros litterae Diplomaticae: „Inuenit eos (Fr. Iulianus) iuxta fluuium magnum Etil; qui eo viso, et quod esset Vngarus intellecto, in aduentu eius non modicum sunt gauisi; circumstantes eum per domos et villas, et de rege et regno Christianorum, fratrum ipsorum, fideliter perquirentes, et quidquid volebat, tam de fide, quam de aliis

eis proponere, diligentissime audiebant. — Pagani sunt; nullam Dei habentes notitiam; sed nec idola venerantur. — Terras non colunt; carnes equinas, lupinas et huiusmodi comedunt. Lac et vinum et sanguinem bibunt; in equis et armis abundant, et strenuissimi sunt in bellis. Sciunt enim per reuelationes antiquorum, quod isti Hungari ab ipsis descenderant." V. Tom. IV. Vol. I. p. 55.

„A Tanai venimus tandem ad Etiliam, maximum flumen: est enim quadruplo maius quam Sequana, et profundissimum: veniens de maiori Bulgaria, quae est ad Aquilonem, tendens in quemdam lacum, siue quoddam mare, quod modo vocant mare Hircan, — sed Isidorus vocat illud mare Caspium — Flumina Tanais et Etilia versus regiones Aquilonis, per quas transiuimus non distant ab inuicem nisi decem dietis; sed ad meridiem multum diuiduntur ab inuicem, Tanais enim descendit in mare Ponti, Etilia facit praedictum mare, seu lacum cum aliis multis fluminibus, quae cadunt in illum de Perside. — — Postquam iueramus duodecim diebus ab Etilia (Volga) inuenimus magnum flumen, quod vocant Jagag (Jaik) et venit ab Aquilone de terra Pascatir, descendens in praedictum mare. Idioma Pascatir et Hungarorum idem est; et sunt Pastores sine ciuitate aliqua. Et contiguatur maiori Bulgariae ab occidente. De illa regione Pascatir exierunt Hunni, qui postea dicti sunt Hungari. — Quod scio de terra Pascatir, scio per FF. Praedicatores, qui fuerunt illuc ante aduentum Tartarorum." V. Tomo IV. Vol. II. p. 278—9.

§. 13. Hac quoque in re consentientes habemus Scriptores domesticos: „Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIIII. sicut in annalibus continetur Chronicis, septem principales personae, qui Hetumoger vocantur, egressi sunt de terra Scythica versus occidentem. Inter quos Almus Dux, filius Vgeg, de genere Magog, Dominus et Consiliarius eorum, vna cum vxore sua et filio suo Arpad, nec non cum multitudine magna populorum, non numerata foederatorum, de eadem regione egressus est. Venientes autem dies plurimos per deserta loca et fluuium Etil super Tulbou sedentes, ritu paganismo, transnatauerunt, in Russiam, quae Susudal (Susdal) vocatur, venerunt.“ Belae R. Notarius. Cap. VII. — „DCCC. LXXII. (in MS. DCCCLXXXVIII.) anno ab Incarnatione Iesu Christi Huni, siue Hungari, denuo ingressi Pannoniam transierunt per regna Bessorum, Alborum Cumanorum, et Ciuitatem Kyo, et deinde in fluuio Hung vocato, vbi castrum fundauere, resederunt.“ Simon Keza ed. Vien. L. II. C. I. p. 5—6. — „Anno ab Incarnatione D. I. Ch. septingentesimo quadragesimo quarto (in MS. septuagesimo septimo) a morte vero Atteilae anno tercentesimo primo, vulgariter Magyari (MS. Magori) latine vero Hungari, denuo ingressi sunt Pannoniam. Transeuntes per regnum Bessorum, Alborum Cumanorum, Susdaliam, et Ciuitatem Kio nominatam; deinde transierunt Alpes, tandem deuenerunt in confinium regni Pannoniae, ad terram, quae nunc Erdel vocitatur. Inuitis gentibus memoratis.“ Chronicon Thuroczii. P. II. C. I. Qui eorum per fluuium Etil, regnum Bessorum, et Cumanorum Alborum, cuius limites, vt vidimus,

Volgam vsque patebant, transitus, sedes Transvolganas demonstrat. *)

*) Hanc Hungariam magnam post etiam, quam in Tartarorum deuenisset potestatem, Praedicatores e Gentilibus nostris iussu Pontificum missi, rore Euangelii continuo rigarunt. V. Sigis. Ferrarium in Hist. Ordinis p. 467. Illos inter notissimus est Elias cognomine Hungarus, Ordinis Minorum. V. Odericum Rajnaldum ad annum 1343. Item Pater de Societate Iesu, natione Hungarus, a Turcis captus, per hos ad Tartaros, apud Volgam, venumdatus. Retulit iste postea litteris Romam perscriptis, hoc exilio se in patriam eiectum esse; reperisse se ibidem Homines eodem, quo Hungari vtentes idiomate, planeque eos, a quibus Hungari quondam processisse videntur." De initio et progressu religionis apud Chinenses. Edit. Vien. A. 1665. — Aeneas Siluius (Pius II. PP.) narrat: „Noster Veronensis, quem supra diximus ad ortum Tanais peruenisse, retulit: populos in Asiatica Scythia, non longe a Tanai, sedes habere, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus; voluisse cum plerisque Sacrarum litterarum professoribus, viris religiosis, et ex ordine S. Francisci, qui linguam illam nossent, eo proficisci, sanctumque Euangelium praedicare." In II. Asiae parte. Cap. 29. Mathias quoque R. H. huius rei non ignarus, quum a Sarmaticis quibusdam Mercatoribus acceperat, legatos illuc et exploratores misit, quibus cognatam gentem, si posset, in Pannoniam — alliceret," teste Bonfinio Dec. I. lib. 3. Accedit denique: populos, qui plagas illas incolunt, Vogulicos et Condiniceos, non expertes hodiedum linguae Hungaricae esse, ideoque in Annalibus Vgriscos et Vgros compellari. V. Pray Diss. Historico-Crit. §. V.

§. 14. Penes Chazaros, tum hodiernam Crimaeam incolentes, substitisse primum Magyaros e magna Hungaria egressos, illorumque annos tres in omnibus bellis socios et adiutores, eorumque vnâ tribu, Chabarorum nempe, auctos ibidem fuisse, donec oris ex illis per Paczinacitas diuisim orientem ac occidentem versus remouerentur; e Porphyrogenneta (de adm. Imp. c. 38.) nouimus: „Turcorum Gens olim prope Chazariam habitabat in loco, cui cognomen Lebedias, a primo ipsorum Boëbodo, qui nomine quidem Lebedias appellabatur, dignitate vero, quemadmodum reliqui eius successores Boëbodus vocabatur. In hoc igitur loco, nimirum in praedicta Lebedia, fluit amnis Chidmas, qui etiam Chyngilus cognominatur. — Habitarunt autem cum Chazaris annis tribus, omnibus eorum in bellis adiutores. Facta autem inter Chazaros secessione belloque ciuili orto, pars vicit; e victis pars occisi sunt, pars fugientes ad Turcas se contulerant, contractaque amicitia, Cabari appellati sunt. — Paczinacitae autem, qui Cangar olim cognominabantur (nam hoc nomen Cangar apud ipsos nobilitatem ac fortitudinem significat) armis contra Chazaros sumtis victi, terram suam deserere coacti — qui fuga euaserunt, circumeuntes quaerebant vbinam sedes suas collocarent; venientesque in terram, quam Turcae incolebant, his debellatis sedes ipsi suas ibi posuerunt. — Turcarum exercitus deuictus in partes duas diuisus fuit; et earum vna quidem orientem versus partem Persiae incoluit — altera vero pars occidentem versus sedes posuit cum Boëbodo suo, ac Duce Lebedia in locis Atelcuzu nuncupatis. — Locus (quem tunc Pacinacitae Magyaris ademe-

runt) ab inferioribus partibus Danubii, ex opposito Distrae procurrit, extenditurque vsque ad Sarkel, quod Chazarorum oppidum est. — Significat autem Sarkel apud ipsos hospitium album. — A Danubio autem fluuio ad laudatam Vrbem Sarkel vsque iter est dierum sexaginta: interiacent vero complures fluuii, quorum maximi duo Danastris et Danapris; reliqui sunt Singul, Hybul, Atmalai, Cuphis et Bogu aliique complures." *)

*) Lebediam Constantini in purpura geniti in silua Lebedin hodie quoque dicta, in Chatarinoslawensi Gubernio quaerendam esse, omnibus eruditis conuenit. Atelkuzu vero (Atelköz) Moldauiam cum parte Valachiae, ac Bessarabiam modernam significare, non solum fluuiorum nomina, et rerum adiuncta probant, sed et ipsum nomen: Atel enim id temporis nominabatur fluuius, quem Dnester dicimus. Vid. Engel l. c. p. 56.

§. 15. Ex Atelcusu quoque (seu Moldauia, cum parte Valachiae, ac Bessarabia) postquam Leoni Sapienti contra Bulgaros Transistranos repetitim suppetias tulissent, per eosdem Pacinacitas, Bulgaris vnitos, depulsos, atque fauentibus discordiis, quae inter filios Suentopluci vigebant, Morauiam magnam ac Pannoniam veterem sui iuris fecisse, idem Constantinus auctor est. „Locus autem, quem tunc habitabant Turci, a fluuiis, qui ibi sunt, cognominatur. Flumina autem isthaec sunt: primus fluuius Baruch appellatur, secundus Cubu, tertius Trullus, quartus Prutus, quintus Seretus nuncupatur. — In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt: inter

quae Pons Trajani, qui a Belgrada trium dierum itinere distat. — Postea vero a Leone illo Christi amante, ac praeclaro Imperatore, arcessiti (Danubium) trajiciunt bellumque Simeoni (Bulgarorum regi) inferentes, victo eo, fugatoque Presthlabum vsque peruenerunt, et quum eum in vrbe Solundraga inclusissent, domum redierunt, quo tempore Liuntika, Arpadae filium, principem habebant." Traiecto rursus Danubio totam Bulgariam captiuam fecerunt." — Postquam (anno cir. 889.) iterum cum Romanorum Imperatore pacem Simeon fecisset, foedere cum Pacinacitis inito terram Turcorum, qui tunc extra regni sui fines bellum gerebant (pro Arnulpho Occidentis Imperatore contra Zuentibaldum Morauiae regem) inuadens, familiis eorum deletis, et qui ad custodiam relicti erant pulsis, late vastauit. Itaque reuersi Turci regionem suam desertam, vastatamque inuenientes, in ea terra, quam ad hodiernum vsque diem incolunt, sedes posuerunt." — Vlteriora (a ponte Trajani et Belgrada) quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrentibus: eorum primum Timeses (Temes) alterum Tutes (Aluta?) tertium Moreses (Marusius) quartum Chrisus (Chrysius) quintum Tiza (Tibiscus)." „Inde Magna Morauia, baptismo carens, quam Turci deuastarunt, cuiusque Princeps olim fuit Suendoplucus." „Et habitant quidem Trans Danubium Turci, in terra Morauia, atque etiam vlterius inter Danubium et Sabam — Confines autem Turcis sunt: orientem versus Bulgari, vbi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat; septemtriones versus Pacinacitae, ad occidentem Franci, ad meridiem Chrobati" Cap.

40. 42. Vt fides et Anonymo Notario et Constantino Porphy. Nestori, Thurociique Chronico constet, mihi quidem videtur partem Magyarorum a Chiouia per Haliciam et Lodomeriam Duce Almo; per Transiluaniam partem alteram sub eiusdem filio Arpade, consilio Regis Chazarorum Principe (Αρχοντε) electo regnum Hungariae ingressos esse. Sed hoc ad praesentem quaestionem neutiquam pertinet.

§. 16. Ast Transuolganae nec erant vnicae, nec primae Magyarorum sedes: in campis quoque Caucasiis, qui trans Tanaim, prope portas Caucasias diffunduntur, agitabant fide dignis testimoniis: suos ibi figit Gudamakaros Moses Chorenensis: „Sarmatiae pars altera, inquit, orientalibus Sarmatiae primae finibus, Riphaeo monte, Tanai flumine, Maeoticaque palude a Sarmatia prima disiungitur; atque inde per Caucasios montes propter Iberiam Albaniamque vsque ad Caspium mare pertinet — Hae autem gentes plurimae Sarmatiam alteram incolunt: Chaziri — Hunni — Gudamakari, Massagetae" p. 356. edit. Londin. Vocabulo Gudamakarorum, a Chazaris, Hunnis etc. distinctorum, nisi Magyaros nostros intelligas, alios non habes. „Hunugari autem hinc sunt noti: quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium, quorum mansionem primum esse in Scythiae solo iuxta Maeotidem — legimus", ait Iornandes de rebus Geticis Cap. VI. Pellium autem murinarum, vulgo Zobellinarum, aut Marturinarum commercium Magyaris nostris conuenit Cf. §. 10. Priscus Rhetor ait: „Circa id tempus (quo Gensericus Orientalibus Romanis foedere iunctus Italiam vastabat) legatos ad orientales Romanos

miserunt Saraguri, Vrogi, et Hunugori. Hae gentes propriis sedibus eiectae, commissa pugna cum Sabiris, quos expulerunt Auares, Hunnos Acathiros adorti erant, et coniunctis viribus, multis praeliis initis gentem deuicerunt" p. 42-3. edit. Paris. p. 29. edit. Venetae. Menander inquit: „Zemarchus autem per arenosa paludis iter faciens per decem et duos dies loca praerupta praetergressus attigit ripas non solum fluminis Hich, sed etiam Daich, et rursus per alias paludes Attilam (Etel, Volgam) inde ad Hugoros." Edit Ven. p. 73. Paris p. 109. Hic per Hunuguros, Huguros, Vgros, Vngaros intelligendos venire iam Car. Cantoclarus in notis ad Menandrum aduertit. Theophanes Chronographus testatur: „Heraclius Augustus cum per Lazorum prouinciam in Persidem, a cuius rege Chosroë bello dissidebat, irrumpere conaretur, indidem legatos cum donis ad Turcorum Principem destinat, quibus eum ad belli contra Persas societatem alliceret; is statim a mense Septembri (Anno Heraclii XVII. Ch. 618). Copias cum Duce Imperatori tradit. Quibuscum in Persidem irruens oppida subuertit, atque ignis delubra prosternit. — Turci vero incumbentem hyemem prospicientes —, societate belli deserta redierunt." p. 296. edit Venetae, Paris. p. 209 — 210. Per hos Turcos Magyaros nostros, fauces Caucasi incolentes esse intelligendos, Nestor, Scriptorum Russicorum Patriarcha, euincit: „Vgri imperante Heraclio, qui aduersus Chosroëm, Persarum Regem, bellum gerebat, innotescere coeperunt" Annal. p. 45. Confirmat eorumdem constans et vniformis Traditio: „Vbi fluuius Cuma amnem Bytumam recipit, etiam num vrbis rudera visuntur,

quam Incolae Madschar, hoc est: Magyar, nominant. Vetus illic Hungarorum sedes." Coll. rerum Russicarum Tomo IV. p. 22. et 154. „Magyari olim degebant in planis sub Caucasiis montibus versus Septemtrionem." Ibid. p. 152. „Nec priores Hungarorum Historiae huic sententiae contradicunt, inquit Thuroczius; cum Hungaros primum Perside, tandem in Palude Maeotide commoratos esse tradant" Chronici Cap. IX. p. 55. Haecque ratio fuerit, cur pars Magyarorum in Lebedia diuisa has in oras se contulerit, et quomodo occidentales cum ipsis negociorum gratia nuncios mittere potuerint teste Porphyrogenneta: „Vna quidem pars orientem versus, partem Persiae incoluit. — Ad hos negociatores suos mittunt etiamnum ii, qui occidentem incolunt — inuisuntque illos, et responsa saepe ab ipsis per hos accipiunt" Cap. 37. *)

*) Moses Chorenensis, in Armenia Episcopus, floruit initio Seculi V. Geographia, ipsius Historiae adnexa, crisim exercet quidem Eruditorum, ast seculo VII. vix est serioris aeui.

Iornandes, Gothus, Rauennatium Episcopus, vixit circa annum Ch. 552. Non nouit quidem maiores nostros in Hungaria sub nomine Magyarorum, ast in faucibus Caucasiis nomine Hunugarorum ideo noscere potuit.

Priscus, Rhetor et Sophista a vitae genere, Panites a Patria, sub Theodosio iuniore floruit, Maximini ad Attilam Legati comes delectus. Gesta legationis huius descripsit, ex quibus excerpta quaedam supersunt. Floruit vsque annum CDLXXI.

Menander Protector, Graecus, floruit circa finem seculi sexti; continuauit Historiam Agathiae Scholastici, qui Historiam Procopii ab anno DLIII. vsque DLIX. produxit.

Theophanes Chronographus, Abbatis functus officio, Chronographiam Syncelli ad suam vsque aetatem continuauit, et circa annum DCCCXVII—VIII. vita decessit.

Nestor, vetustissimus Russorum Historicus, scripsit vsque 1111-2.

§. 17. Propterea Itinerantes seculo adhuc XIII. copiosos in regionibus his inuenerunt Hungaros, testantibus litteris nostris: „Regio vltra Tanaim est pulcherrima, habens flumina et siluas ad Aquilonem — Habens ad meridiem montes maximos (Caucasios) in quibus habitant in lateribus versus solitudinem Cergis et Alani, post istos prope mare, siue lacum Etiliae, sunt quidam Saraceni, qui dicuntur Lesgi; post hos est porta ferrea, quam fecit Alexander ad excludendas barbaras gentes de Perside — In via (inter Tanaim et Etiliam) habuimus magrum timorem: Rutheni enim et Hungari, et Alani serui eorum, quorum est magna multitudo inter eos, et associant se viginti, triginta simul, et fugiunt de nocte, habentes pharetras et arcus; et quemcunque de nocte inueniunt interficiunt; de die latitant" Inquit Rubruquis. V. Tomo IV. Vol. II. p. II. p. 270-3. *)

*) In iugis Caucasiis hodiernum in diem complures colere gentes, quae Maiorum nostrorum progeniem se profitentur, alias iam monui in Tudom. Gyüjt. 1825. Ternione 6. Ioanni Reineggio, qui Hungariam peruagatus cum Comite Kohário, Gentili nostro, claustra haec

immania perlustrauit, descripsitque plurimum defero. Tales sunt Ingusii, ad latus Caucasi orientale Boream versus in tribus septem diuisi. Beschreibung des Kaukasus I. Th. p. 35. 38-9. Inter Magyarorum reliquias censet Doctissimus Pallas etiam Badillos, inter fluuios Urog et Usdon degentes. Ad Chunorum, Uzorum, ac Chazarorum posteros plures se referunt. V. Pallas. Neue Nördliche Beyträge. Band VII. Seite 32-38. etc.

§. 18. His in sedibus Magyaros nostros cum Saracenis, regno Persidis potitis, plus vna vice rem habuisse, variante fortuna, comperimus: Imperatoris, Leonis Isauri, cognomine Iconomachi anno 15. Salutis 714. Masalmas, Arabum Dux, bellum in Turciam mouit, et superatis caspiis portis, metu correptus reuersus est", ait Theophanes" — Constantini Copronymi anno 23. salutis 755. exiuerunt Turci e Caspiis portis, et occiderunt multos in Armenia, et praeda multa locupletati rediuerunt." Constantini Copronymi anno 24. salutis 756. „venerunt iterum Turci ad Caspias portas, et in Iberiam; et manu cum Arabibus conserta ex vtraque parte occubuere multi" p. 159. edit. Ven. Idem testantur Scriptores Arabici et Syriaci: Sic in annalibus Islamismi ad annum Ch. 733. legitur: „Muslemi inuadunt terras Turcarum" Ann. Islam editi ab O. L. Ramussen Hafniae 1825. in 4. Dionysius Iacobitarum Patriarcha Syrus, anno 775. clarus refert: „Anno 731. Masalmas Hunnos, siue Turcos, in Armeniam inuadentes, armis aggressus est, ipsosque ad pacem postulandam adegit. Eodem anno ad portas Caspias, quibus ii claudebantur, penetrauit. Anno sequenti refectis, quas ii effregerunt, portis iusiurandum ab iis exigit,

vt finibus suis nunquam excederent. Quum vero nulla iurisiurandi habita ratione e Caspiis portis iterum prosiliissent, confecto praelio eos in fines suos recedere compulit, et Mervanum, Mahometi filium, Armeniae praeficiens, in Syriam se recipit." Assemanni Biblioth. Orient. Tomo III. p. 106. Eos Saracenorum iugum effugisse vnicus, quod sciam, Paulus Diaconus e Latinis insinuat, dicens: „Saracenis (post diuturnas luctas) an. DCCXXXIX. Retinentibus tam Abasgiam, quam Lazicen et Hiberiam" Historiae Miscellae apud Muratorium Script. rerum Italicarum Tomo I. Lib. XXI. p. 148. Sub Leone Imperatore — Chronicon verò Derbentinum idem per adiuncta explicat: Mogoles (Mogores) ac Chunos a Saracenis pressos, postquam Chazaris iam superatis, onus omne belli ipsis incubuisset, emigrasse; Mogores quidem partes Volganas petiisse, Chunos vero versus occidentem se conuertisse; reliquias ipsorum a Saracenis libertatibus fuisse condonatos. Apud Reinegg. Reise nach Kaukasus I. Th. p. 66. — 73. *)

*) Codicis Derbentini copia hucdum in sola Bibliotheca Göttingensi exstitit, editionem ex originali Petropoli suscipiendam auide exspectamus. Eius fragmenta nonnulla hic sequuntur: „Ungefähr 70. Iahre vor Muhameds Geburt, zeigte sich ein unzählbarer Schwarm verschiedener Mongolischer (Mogorischer) Völker, die aus dem nördlichen Thibeth und Kiptschak ausgewandert, erstlich von Boikara Besitz nahmen, und bald darauf sich bis Astrachan, ausbreiteten. Da aber für die grosse Anzahl dieser Völker der Raum ihrer Eroberungen in diesen Gegenden nicht zureichte; so zog ein grosser Theil davon weiter nach Westen; andere wandten sich längst dem Wolga Ufern mehr

nördlich, und erbauten die Stadt Kosan, welche sie damals Bulgar nannten. — Der Westliche Zug der Mongolen breitete sich mehr nach Nordwesth aus, ihre neue Besitzungen mit dem Namen ihres verlassenen Vaterlandes Kipcsak belegte, und Matschar gründete. — Die Mongolen beherschten diese Gegend noch ganz unumschränkt als Mahumed seine Lehre auszubreiten anfieng. — Die Ghyssr und Mongolen hatten ihre gröste Macht aufgebothen, und suchten die Araber auf alle nur mögliche weise zu verdrängen. — über diesen fiel die Last des Krieges, und die öftere Niederlage sehr beschwehrlich; weswegen die am Kuma Flusse wohnende Völker sich von dem Ghakan der Ghyssr trennten, und mit aller ihrer Hab und Güter der in Madschar wohnende Theil rettete sich über den Terek, und Volga Fluss; ein grosser Theil blieb in Teste — Kipcsak zurük. Im lahre 112. (Hegerae) 720. Christi circiter. Quidquid sit; hic de iisdem populis nomine Mogolum esse sermonem, qui a Graecis Scriptoribus Turci, a Russicis Vgri nuncupantur certum est. p. 68. — 74. Desertum locum Madschar postea ab Arabibus aedificatum fuisse, ibid p. 78.

§. 19. Huc quoque maiores nostros aliunde immigrasse, non tantum laudatum Chronicon insinuat, sed etiam Priscus meminit, dum Hunuguros propriis sedibus eiectos dixit l. citato. Ast vnde? Constantinus in purpura genitus, quasi aliud agens, lucem quampiam affundit dicens: „Olim (Magyari nostri) non Turci, sed Sabartoëasphali, quadam de causa dicebantur.“ — „Turcarum exercitu per Pacinacitas, tunc temporis Cangar nominatos, deuicto, atque in partes diuiso; earum vna quidem, versus Orientem, partem Persiae incoluit;

et hi etiam in hodiernum diem de veteri Turcorum cognomine Sabartoëasphali nuncupantur“ de adm. Imperii C. XXXVIII. De causa cognominis huius, Constantino Porphyrogennetae ignota, diu multumque meditanti, videtur: nomen hoc a loco Zabaortene dicto ipsis adhaesisse; pars enim prima cognominis Sabartoë ad vocem Zabaorte proxime accedit; pars vero altera: „asphali“ Graecis tantumdem est: ac muniti, securi; tales vero erant Zabaortenes in Parthia incolae naturae, artisque munimento securi, testibus Iustino et Plinio, qui regionem hanc vberius descripserunt. „Loci (Zabaortenon) ea conditio est, vt neque munitius quidquam esse, neque amoenius possit. Ita enim et praeruptis rupibus vndique cingitur, vt tutela loci nullis defensionibus egeat; et soli circumiacentis tanta est vbertas, vt propriis opibus expleatur. Iam fontium ac syluarum ea est copia, vt et aquarum abundantia irrigetur, et venationum voluptatibus exornetur“ narrat Iustinus Epitome Trogi Pompeii Libro XLI. Cap. V. „A Caspiis, orientem versus, regio est Zapauortene dicta, et in ea fertilitatis inclytae locus Daricum“ scribit Plinius Historiae Natur. Lib. VI. Cap. XVI. Videtur huius meminisse etiam Isidorus Characenus in Parthia natus. E regionis munitae Zabaortenon, aut Zapavortene nomine potuit proin Maiorum nostrorum cognomen corruptum Sabartoëasphali ortum duxisse, ac regio Zabaortena sedes quondam fuisse. Eo magis cum Moses Chorenensis partem Parthorum ab Imperio Persarum se subduxisse, ac Lechorum ditiones inuasisse testetur. Lib. III. Cap. XXII. — XXXII. *)

*) Quidquid sit de hac Maiorum nostrorum sede, nec enim firma adsunt documenta, et Chronicon Derbentinum ipsos e regionibus Tibetanis borealibus fauces Caucasias inuasisse, dicit; ea est sane Magyarorum in lingua, vestibus ac moribus paritas, quod Iustinus Lib. XLI. Cap. II. et III. in Parthis veteres Magyaros nostros depinxisse videatur; et Rhegino, Prumiensis Abbas, eosdem, non quod Parthos crediderit, sed ob morum similitudinem, Iustini verbis duxerit adumbrandos.

§. 20. Si gentis nostrae, dum vitam agebat nomadicam, incunabula prosequamur, ipsos in Aria veterum, Persidi ad orientem, in hodiernis Chiwensium, Karakalpagonum, Buchariorumque aruis, communia cum Chunis mutasse tabernacula reperiemus: De incolis quippe Parthiae ait Iustinus: „Hi domesticis seditionibus (a Scythis contribulibus suis) pulsi (ideo „Pártos“ segreges nominati) solitudines inter Hircaniam et Dahas, et Arrios et Spartianos et Margianos furtim occupauere; fines deinde, non intercedentibus primum finitimis, postea etiam prohibentibus in tantum protulere; vt non immensa tantum et profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua, occupauerint.“ Lib. IV. Cap. I. Huc collocat etiam Plinius Historiae Naturalis Lib. VI. Cap. XX. ad citeriora nempe Indiae suos Megaros; ac Ptolemaeus in Aria, ad limites Parthiae ac Caramaniae, suos Mazoranos: „Quae autem iuxta Parthiam et Caramaniam desertam: Mazorani tenent,“ Lib. VI. Cap. XVII. Tabula IX. Per Megaros, Mazoranosque Magyaros intelligi, Topographia Sinarum vetus confirmat; narratur in hac: Chinis populos esse finitimos, qui etiamnum vocentur Megari, ingens (populus) et ipsi,

armorumque gloria inclytum regnum possident; quorum Metropolis est, Samarcanda; hi a nullis nationibus in seruitutem redacti dicuntur." Apud Topeltinum in Orig. Transiluaniae Cap. IV. Porro Sarmacanda, Ptolomaeo Sarmagena, Ariae regionis in Asia vrbs est; vrbs Sogdianae regionis Arriano et Curtio; ad fluuium Gihon longitudinis 33. lat. cir. 85°

§. 21. Consonant his traditiones etiam litterarum nostrarum: „Longissime a Perside, transgressis alpibus, quae descendebant a magnis montibus, ad meridiem ingressi sumus pulcherrimam planitiem; habentes montes altos a dextris, et quoddam mare a sinistris, siue quemdam lacum, qui durat quindecim dietas in circuitu. Et illa tota planities irrigabatur ad libitum aquis descendentibus de montibus, quae omnes recipiuntur ad illud mare. — Terra illa solebat dici Organum (Orgenz, Vrgenz, hodie in regno Chiwae) Iugurum terra contiguatur cum terra praedicta, Organum inter montes illos ad orientem. Apud Iuguros hos est fons et radix idiomatis Turcici et Commanici" testatur Wil. Rubruquis. V. Tomo IV. Vol. II. p. 280. — Item: De partibus Carakatay venerunt omnes Turci. Cara idem est, ac quod nigrum, Catay nomen gentis, vnde Caracatay, idem quod nigri Catay, ad differentiam ipsorum, qui erant in oriente super Oceanum. (Chinenses) Illi Catay erant in quibusdam alpibus, per quas transiui." Ibidem p. 272. *)

*) Lucro antiquitatis Hungaricae cessit maximo Nicolai Murawiew in regnum Chiwae per Turcomanniam profectio; ex illius enim descriptione et maiorum nostrorum, quamdiu rudem agebant vitam, mores, in stir-

pes varias diuisionem, cum locis, quae itinerantium litterae e seculo XIII. attigerunt, illustrata videmus, et linguam e vocibus, quas adnotauit, communem agnoscimus. Vide: Des Kaiserl. Russ. Gesandten Nic. von Murawiew Reise durch Turkemanien nach Chiwa in den Jahren 1818 — 20. Uebersetzt von Ph. Stahl, in zwey Theilen. Berlin 1824. bei Reimer.

§. 22. Quod vltra est, Maiorum nostrorum (sicut aliarum quoque gentium) incunabula nebula tegit. Ad ea videtur alludere Plinius dicens: „Vltra flumen Jaxarte, quod Scythae Sylin vocant, sunt Scytharum populi. Persae illos S a c a s in vniuersum appellauerunt a proxima gente; antiqui A r a m o s." L. VI. cap. IX. A r a m i autem, Homero et Hesiodo noti, erant populi inter Phaenicen, Taurum, Tigridem, et Palaestinam, Graecis dicti Syri: Iosephus Flauius Antiquit. Lib. 1. c. VII. Geneseos XXXI. v. 20. 24. Sed haec; nominis item „Magyar" originem, viderint, quibus vacauerit; *) operae pretium est magis, Maiorum nostrorum indolem, genium, studiaque in Patriam, Principem, ac erga Hospites paucis adumbrare. *)

*) In Diplomatibus Stirpis Arpadianae, quae mihi in manus venerunt, protographis, memini me legisse nomen gentile: M o g o r, M o g y e r, M a g y e r, et in Caroli Roberti de A. 1314. distinctissime: M a g y a r; nunquam M a g e r, vel M o g e r; quibus proin M o g e r, in MSS. Belae Notarii illis seriore, copuellitur.

§. 23. Magyarorum auitae libertatis tuendae studia ac media expressit Leo Augustus, cui a sapientia nomen: „Consecuti, inquit, scimus rerum Turcicarum scientiam vsu et mediocri experientia: cum eorum auxilio contra Bulgaros vtere-

mur. — Haec igitur gens virorum copia florens, ingenua est et libera. Nulla ei magnificentiae, rerumque affluentiae est cura: sed id vnice studet, vt animi fortitudine hostibus suis praestet — Armantur vero frameis, loricis, arcubus, hastis; quare complures eorum dupplicia in praeliis arma gestant; humeris quidem hastas ferunt, arcum vero tenent manibus, et tam hoc, quam illis, pro occurrentis necessitatis ratione vtuntur, et in receptu aduersus persequentem hostem arcubus vtuntur. — Non modo vero ipsi armis tecti sunt, sed equorum etiam, quibus Nobiliores vehuntur, anteriores partes aut ferro, aut duro centunculo, muniunt. Magno studio, atque exercitatione artem ex equis sagittas emittendi condiscunt. — Sed praeliis eminus commissis magis gaudent, deinde struendis insidiis, et circuitibus; cum scilicet protensa vtraque aciei ala hostem circum venire satagunt; tum simulatis recessibus, et repentinis in hostem conuersionibus; denique dispersis agminibus. Nec Turci, quemadmodum ceterae nationes, primo praelio victae pugnam deserunt; verum donec viribus fracti animos non abiiciant, id vnice student, vt omnibus viis et modis hostes suos iterum aggrediantur" Excerpta Tacticae edit. Kollár n. 5. 6. 10 — 12. 19 — 20. 35.

§. 24. Maiorum nostrorum in Principem suum legitimum fidem celebrauit — a partium studio certe haud suspectus — Otto Frisingensis Episcopus, cuius verba ideo per extensum adfero: „Prouincia Vngariae, eo quod circumquaque siluis et montibus, ac praecipue Apennino clauditur, ex antiquo Pannonia dicta, intus in planicie campi latissima, decursu fluminum et amnium conspicua, nemori-

bus diuersarum ferarum generibus plenis conferta, tam innata amoenitate faciei laeta, quam agrorum vbertate locuples esse cognoscitur, vt tanquam Paradisus Dei, vel Aegyptus spectabilis esse videatur. Habet enim pulcherrimum, vt dixi, naturaliter spectaculum; sed ex barbarie gentis, moenium, vel aedium rarum ornatum, terminosque non tam montium vel syluarum, quam cursu maximorum fluuiorum septos. Attingitur ab Oriente, vbi Sowa famosus fluuius Danubio recipitur, Bulgaria; ab occidente Morauia et orientali Teutonicorum Marchia; ad Austrum Croatia, Dalmatia, Histria, vel Carinthia; ad Septemtrionem Boëmia, Polonia Rutenia. Inter Austrum et orientem Rama; inter Aquilonem et Orientem Pecenatorum et F a l o n u m, maximam venationum copiam habente, sed vomere, ac rastro pene experte campania. Crebras vero Barbarorum irruptiones passa haud mirum, si moribus aut lingua agrestis manet et insulsa. Nam primo — Hunnorum — direptioni patuit; post modum — Auarorum — conculcationi; ad vltimum Vngarorum, à S c y t h i a e g r e s s o r u m, qui et eam adhuc incolunt, relicta est possessioni. Sunt autem praedicti Vngari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus et lingua barbari, et feroces; vt iure fortuna culpanda, vel potius Diuina patientia sit admiranda; quae ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris, tam delectabilem exposuit terram. In hoc autem Graecorum imitantur solertiam, quod nullam rem magnam sine crebra, et longa consultatione aggrediuntur. Denique cum vilissima in vicis vel oppidis ibi, id est ex cannis tantum, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula; toto

aestatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam Regis Sui, singulis ex primoribus sellam secum portantibus, conueniunt, ac de suae reip. statu pertractare, et discutere non negligunt, hyemis algore, in domiciliis, quae habent, idipsum facientes. At omnes sic Principi suo obsequuntur, vt vnus quisque, ne dicam, manifestis illum contradictionibus exasperare, sed et occultis susurris lacerare, nefas arbitretur. Hinc est, vt, cum praedictum regnum per LXX. vel amplius diuisum sit Comitatus, de omni iustitia ad Fiscum regium duae lucri partes cedant, tertia tantum Comiti remaneat; nullusque in tam specioso ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audeat. Quod si aliquis ex Comitum ordine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandocunque non iuste diffamatus fuerit; quilibet infimae conditionis lixa, a Curia missus eum, licet satellitibus suis stipatum solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diuersa tormentorum genera trahit (Cf. Decr. II. S. Stephani C. 51.) Nulla sententia a Principe, sicut apud nos mos est, per Pares suos exposcitur; nulla accusato excusandi licentia datur; sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando vero exercitum Rex ducere voluerit, cuncti, sine contradictione, quasi in vnum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, nouem decimum, vel etiam septem octauum, vel infra, si necesse fuerit, cum suppellectili ad bellum necessaria instruunt; ceteris pro cultura terrae domi relictis. Qui vero

de militum ordine sunt, nulla occasione, nisi grauissima, domi remanere audebunt. At in ipsa regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, et qui apud eos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes pene tetri, tetris in armis procedunt; nisi quod iam a hospitibus, quos nunc soldarios (Soldaten) dicimus, educati, vel ab iisdem etiam geniti, quamdam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes. Principes tantum, et hospites, nostros in pugnandi peritia, armorumque splendore imitantur. Sed de praedictae gentis ritu haec dicta sufficiant." Lib. I. Cap. XXXI. Floruit circa annum Ch. 1150.

§. 25. Liberalitatis, qua gentes aduenas, terrarum, iurium, ac praerogatiuarum suarum compotes faciendo, Maiores nostri deuinxerunt, praeter Decreti I. Proto-Regii cap. VI. Diplomatica quoque habemus documenta. „Praeterea intrauerunt Hungariam tam tempore Geychae, et Sancti regis Stephani, quam diebus aliorum regum: Bohemi, Poloni, Graeci, Hispani, Hismaelitae seu Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Thuringi Misnenses et Rhenenses, Cumani et Latini," inquit Chronicon Thuroczii P. II. CXXII. „Cum igitur Codices quidam contineant, quod isti Capitan. VII. (Hungarorum) Pannoniam introierint, et Hungaria ex ipsis solis condita sit, ac plantata: vnde venit generatio Chak, Akus, Beor, Aba, ac aliorum Nobilium Hungarorum, cum isti non hospites, sed de Scythia descenderint (Belae Notar. Cap. VII.) Constat itaque non tantum septem Capitaneos Pannoniam conquestrasse, sed etiam alios Nobiles, qui de Scythia descenderint; qui sunt Vgud, Ed,

Chaba, Torta, Kadicha, Berend, Bilku, Zumbur, Leuenta, Ompud, Mika, Chanad, Bunker, Othman, Korvi, Kelad" Chronicon Simonis Kezae. MS. Cum ipsi e decreto S. Stephani singuli, in persona dicimus, militare obligati fuerint (Dec. I. c. 4.) Gentibus Hospitum milites certo numero, armorumque genere instructos ad exercitum regis adducendos, imposuerunt: ita Siculis Dipl. anni 1096. Croatis A. 1096. Bohemis 1126. Saxonibus et Flandrensibus A. 1191. 1206. Bissenis seu Bessis A. 1222. Vide in Codice Diplomatico. Hinc enati: Sagittarii, pharetrarii, lanceati, Balistarii etc. Speculatores, Custodes limitum (Marchiones) etc. — Terras incolendas (descensum vocarunt) adepti sunt ipsi quoque Saraceni (alias Ismaëlitae,) ac Iudaei Diplomatum nostrorum euidenti documento. *)

*) Aliis vero munia ciuilia fuerant adtributa: vti ministerium aulae, custodia portarum curiae, Agazonum, Cocorum, Fabrorum etc. regiorum; a quibus nomen quoque retinent Udvard, Nagy és Kis-Orozi, Lovász-Patona, Szakácsi, Kovácsi. De his V. Diploma Anni 1254. Tomo VI. Vol. II. p. 379. Regis ad exemplum Episcopis, Abbatibus ac Nobilibus quoque sui erant milites et conditionarii.

III. De auitis Chunorum sedibus et initiis.

§. 26. Chuni, post linguarum confusionem, campis Senaar desertis, pars in Orientem delati, reliqui Septemtrionem versus, qua Armeniae, ac Georgiae montes porriguntur, eluctati, nominis

celebritatem antiquissimis iam temporibus sunt consecuti. Orientalium e Scriptoribus Romanis primus meminit Plinius (Hist. L. IV. Cap. XVII.) „Ab Attocaris inquit, siue inde a sedibus Attacorum sunt gentes Hunni, et Tochari, et iam Indorum Casiri intro versus ad Scythas versi.“ E Scriptoribus Graecis Theophylactus Symocatta (Historiae p. 120. edit. Ven. 177. edit. Paris). „Hunni sunt habitantes orientem, vbi vicinus est Persis, quos Turcos etiam nominari pluribus iam constat.“ Ex Armenis Moses p. 305. „Scythia, quae et Apachtaria siue Turcia dicitur, ab Ethele flumine ad montem Imaum et vltra vsque Zeniam pertinet. Scythiam quatuor et 40. gentes incolunt Sogii, Thucarii, Hephtalitae, aliaque praeterea nomina barbara. Sogii sunt opulenti, artifices et mercatores, atque inter Turcastaniam et Ariam habitant. *)

*) Consentiunt nostrae quoque litterae: „Longissime a Perside, transgressis Alpibus, quae descendebant a magnis montibus, ad meridiem, ingressi sumus pulcherrimam planitiem, habentem montes altos a dextris, et quoddam mare a sinistris, siue quemdam lacum, qui durat quindecim dietas in circuitu. Et illa tota planities irrigabatur ad libitum aquis descendentibus de montibus, quae omnes recipiuntur ad illud mare. — Terra illa solebat dici Organum (Orgenz, Urgenz) Iugurum (Oigorum) terra contiguatur cum terra praedicta Organum inter montes illos versus orientem. Apud Iugures hos est fons et radix idiomatis Turci, et Comanici“ testatur Wilhelmus a Rubruquis. V. Tomo IV. Vol. II. p. 280 — 81. Oras has fere totidem verbis descripsit, magno veteris Historiae

lucro Nicolaus Murawiew, Legatus Caesareus Russicus „Reise durch Turkemanien nach Chiwa in den Jahren 1818 — 1820. Uebersetzt von Ph. Stahl in zwey Theilen. Berlin. 1824. b. Reimer. Exquo nonnulla vocabula, idiomati Magyarico' hodiedum congrua dedimus in Tud. Gyüjt. A. 1825. Ternione VI. ex ore nostrae linguae ignari.

§. 27. Ex his aliqui monumentis Sinicis, a Deguignesio editis, anno iam 2207. ante Christum commemorantur in plagis, qua tres ipsorum prouinciae Chensi, Chansi et Pe — tcheli septemtrionem spectant, et imperium Sinico coaeuum condidisse celebrantur. Murus in prouincia hodie Ta-Tum-Fu dicta ad occidentem per Sinensium Reges seculo ante natum Christum quarto, quadringentis et viginti leucis secundum In — Chani montium latera excurrens eis est obiectus. V. Pray Ann. Hunn. Dissertat. Praeuia de Origine Hunnorum p. 8. et sqq.*)

*) Opus citatum inscribitur: Histoire Generale des Huns, des Turcs, des Mogols, et des autres Tartares occidentaux, avant et depuis I. Ch. iusqu' a présent — ouvrage tiré des Livres Chinois, et des Manuscrits orientaux de la Bibliotheque du Roi par M. Deguignes, de l' Academie Royale des Inscriptions et belles lettres, Censeur Royal, Interprete du Roi pour les langues Orientales, et membre de la Société Royale de Londres.“ Quatuor Tomis vniuerse constat: I. duo volumina complectitur. Duo primi tomi prodierunt An. 1756. tertius 1757. qnartus 1758. Parisiis. Sinensibus Chuni hi Hiongnu sunt compellati.

§. 28. Septemtrionalium in Scythia Europaea Claudius Ptolomaeus meminit Geographiae L. VIII.

Cap. I. inquiens: „Inter Basternas et Roxolanos sunt C h u n i.“ Sedes ipsorum descripsit vberius Procopius de bello Persico Cap. X. p. 241. edit. Venet. p. 28. edit. Paris. „Taurus, Ciliciae mons, in Cappadociam primum excurrit; inde, in Armeniam, Persarmeniam, Albaniam, Iberiam, et circumpositas, qua sui, qua Persici iuris ac ditionis gentes. Etenim euadit in immensum, et processu immane, quantum cum in latitudinem erescit, tum in altitudinem. Vltra Iberiae fines inter summas angustias trames quidam stadiis L. in longitudinem patet, et praerupto atque insuperabili monte sic terminatur, vt exitus nullus appareat. Ibi portam duntaxat, quam diceres arte et manu factam, molita est natura; eam vetusto nomine Caspiam appellamus. Hinc late se campus aperit equitabilis et vbertim riguus. Regionis pars maxima alendis equis accomoda est, spatiisque porrecta planissimis. Ibi omnes fere populi, quos H u n n o r u m nomen complectitur, habitant, eorumque sedes ad paludem vsque Maeotin pertinent.“ Firmat Agathias Lib. V. p. 107. edit. Ven. 154. Paris: „Hunnorum gens o l i m habitauit circa eam Maeotidis paludis partem, quae subsolanum ventum versus spectat, erantque Tanai flumine magis Septemtrionales; quemadmodum et aliae barbarae nationes, quotquot intra Imaum montem in Asia consederunt. Hi vero omnes communiter Scythae et Hunni vocabantur, priuatim autem secundum nationes, nonnulli eorum Cotrigori, alii Vtigori, alii Vltizuri, et Burgundi dicebantur; alii aliter ex Patria cuique, atque vsitata appellatione nominabantur.“

§. 29. Hi per Asiam antiquissimis non absi-similiter inclaruerunt temporibus: teste Constantino Manasse (in Compendio Chronico p. 12. edit. Paris) „Aegypti Rex Sesostris — coacto de tota natione sua exercitu — assumtisque belli sociis ex Vnnorum gente, quam muneribus sibi totam adiunxerat, terram vniuersam, Asiam maxime percurrit, et omnes, vt tributa sibi penderent, vi coëgit — Vnnos, siue Scythas, Parthos appellauit.“ — Temporibus iam ante Christum natum Chunos hos Russiam obsedisse, Danorum traditio prodit: „Russia autem vocatur a Danis Ostrogard, eo quod in oriente posita omnibus abundet bonis. Haec etiam Chunigard dicitur, eo quod ibi sedes Hunnorum primo fuerit“ (Helmoldi Chronica Sclauorum etc. Lubecae 1659. in 4. p. X.) Probat etiam internecinum illud bellum Hunnorum cum Frothone, quod, etiamsi in adiunctis fidem excedat, in substantia tamen inficiari non ausimus: „Eo bello, inquit Saxo Grammaticus (Historiae Danicae L. V. p. 78—81.) septuaginta et septem reges, qui aut ex Hunnis erant, aut inter Hunnos militauerant, submiserunt se regi Frothoni.“ Cf. etiam Erp. Lindenbroghium Scriptorum rerum Germanicarum Septemtri. Veter. Hamburgi 1706. p. 264. Tertio ac quarto adhuc seculo tria potentissima Hunnorum regna commemorantur: vnumGarderike; alterum inter Iutlandiam et Finnlandiam; tertium in Hunesgau, in Gröningia. Cf. etiam Il. Suhm. Tronhiemske Samlinger IV. St. p. 291. 294. Chron. Gothwicense. Die Allgemeine Welthistorie XXXII. Th. p. 40. etc.

§. 30. Hunnos etiam Orientales alias et alias emisisse colonias, vix locus dubio: Mirchondus

sane, Scriptor Persicus, Turcorum, idest Hunnorum orientalium, gentem in quatuor diuisam tribus memorat: quarum alia Auarum, ipsi Gaogin, Graecis Var-Chunitae, Sinensibus vt videtur Geugenii; alia Chazarorum, Arabibus Gozz, aliis Gissr; item Vzi, Sinensibus Ossi et Asi; Pacinàcitae, Piceni et Bessi etc. Hae enim gentes singulae olim regiones ad Caspium mare, orientem versus, incolebant; resque cum Sinensibus, ac Persis plurimum habebant. V. Zonaram Tom. I. p. 638. Olympíodorum Corp. Bizant. Tom. I. p. 9-10. Theophanem p. 104-5' Procopium p. 104-105. Pray Diss. Hist. Crit. pag. 59. Hunni, Hiongnu Sinensibus, antiquitus Sacae dicti, primum luxu correpti, mox in partes scissi, a Tartaris Topais ad partes occidentales, ad Altai, seu aureum montem, retrusi, propitiam nacti denuo fortunam, regnum restaurant, Turcarum nomine cogniti; „quorum Chaganus, qui laudibus a Turcis in oriente celebratur, legatos miserat ad Mauritium Imperatorem, eaque concinnata epistola exarauit epinicia: Regi Romanorum Chaganus, magnus Dominus septem gentium, Dominus climatum vniuersi." In excerptis Menandri. p. 128. edit Ven. 190. edit Paris. Tantum increuit Chunorum etiam Eutalitarum, siue Alborum, quos itidem Turcos vocare Persis mos erat, ad Gorgo potentia, vt Persas ad pendenda sibi annue quadraginta aureorum millia cogerent. Theophilactus Historiarum L. III. Capit. VI. p. 182. *)

*) Antonius iam Geufraeus de origine Turcorum lib. II. adnotauit, nomen Turquestanorum et Turcorum sonare liberos; Hunnis proin his videtur nomen hoc ac-

cessisse, vt distinguantur ab Hunnis ad meridiem, qui se Sinensibus subiecerant. Cf. Pray Annal. p. 55.

§. 31. Quod res nostras propius attinet: Hunni in campis Caucasiis agitantes, hucdum Romanorum in Asia regiones sub Caro, et Constantio Imperatoribus carpere ausi (Zonaras Tom. I. p. 638. Olympiodorus Tomo I. Corp. Biz. p. 9-10.) caesis Scythis, victis Alanis, Gothis pulsis aut subiugatis, Gepidis sibi vnitis a Volga vsque Rhenum dominatum in Europa protulerunt. „Multis autem postea seculis, inquit Agathias (edit Ven. p. 108. edit. Paris. p. 154.) transierunt in Europam; siue reuera a ceruo quodam, vt fama percrebuit, primum ducti, siue alia quapiam fortuna vsi, et Moeotidem paludem, qua parte in Euxinum pontum fertur, quum antea traiici nequaquam posse crederetur; tunc (exeunte seculo IV.) certe, quocunque tandem modo, traiicientes, et per aliena vagantes, innumeris damnis indigenas affecerunt, inopinato eos adorti, adeo vt prioribus habitatoribus eiectis, ipsi illorum ditionem occuparent.“ Chuni hi sub Rege Attila potentiam suam in immensum extulerunt: „Nemo vnquam eorum, qui in Scythia vel alibi regnarunt, tantas res, tam breui tempore, gessit. Totius Scythiae dominatum sibi comparauit, et ad Oceani vsque insulas imperium extendit, vt etiam Romanos tributorum praestationi obnoxios habuerit,“ ait Priscus Rhetor apud eumdem Attilam Lagatus. In excerptis edit. Ven. 43. et Paris p. 64. *)

*) Hunnorum nomine Chunos intelligendos, Eruditorum ignotum esse puto nemini: Certe Hunnos Gregorius Turonensis Seculi VI. scriptor, constanter Chunos

vocitat. Apud Ammianum etiam Marcellinum Libro 31. cap. 8. Chunos pro Hunnis legas, licet ei saepius dicantur et Hunni. Ita etiam Chuni pro Hunnis occurrunt apud Sydonium Apollinarem Carmine VII. v. 241. et 324. Item apud Theophylactum Simocattam Lib. VII. et Nicephorum Calistum Libro XVII. Cap. 30. vt plura mittam.

§. 32. Ast tamen Chunorum in Europa dominium haud fuit diuturnum: filii eius, anno Ch. 454. mortui, suomet partim ambitu, partim Vasallorum seditione regnum fere totum amiserunt. V. Iordanem de rebus geticis C. 50. et alios. Reliquiae ipsorum, sub Irnacho, nostris Chaba, in Scythia minori recepti, item Acathiri, quos sibi Ellakus, filius natu maximus, viuo adhuc Patre subiecit, ac Vturguri et Cotrigori ad Tanaim et Boristhenem sedes nacti, societatem belli venalem aliis et aliis gentibus praebentes (V. Marcellini L. XXXI. 2. 3. etc.) libertatem suam tuiti diu sunt; tandem mutuis caedibus, Iustiniani Imperatoris dolo, attriti, a Saracenis quoque, Persiae imperio potitis, cladibus affecti eodem cum Magyaris tempore (vid. §. 18.) e vicinia illorum in regiones occidentales pars semet diffudit. (V. Agathiam pag. 119. edit Ven. 154. edit. Paris. Procopium de bello Gothico Lib. IV. Cap. XIX. et alios.) Reliqui in seruitutem redacti, Dominorum suorum appellationem consecuti. Agathias l. c. Cap. V. p. 119. edit. Venetae. *)

*) Qui Regno Attilano in Europa Gepidis exactis, sancito cum Longobardis foedere, potiti sunt Hunni-Auares non erant, sed horum serui fugitiui, gentium colluuie aucti, ideo Pseudo-Auares: „Turci Orientales, tempestate hac legatos cum muneribus ad Iustinum,

Iustiniani successorem, anno regiminis II.) miserunt, ne Abares (seruos suos) reciperet, obsecrantes. Ille munera libenter accipit, omnique adeo beneuolentiae, atque humanitatis genere complexus, domum remisit. Cumque Abari mox accessissent, qui Pannoniam habitare, paceque frui Romanorum precabantur, ob datam Turcis fidem, pactasque conditiones, repulsam tulerunt." Theophylactus Bizant. in Excerptis l. c. p. 157. edit. Ven. Causa hac Abari a Chronicis nostris ignorantur.

§. 33. Qui Saracenorum iugum efugerant, a portis Cumanis Cumani dicti, subin a Chiouiae Dominis A. Ch. DCCCLXIV. Constantinopolim secundo Boristhene mouentibus in armorum societatem sunt acciti; testante Codice Macariano (apud Schlötzer Consp. Annal. Russicorum pag. 87.) Pars vero ad Chiouiam Magyaris se vniuerunt: „Duces Cumanorum, scilicet Ed, Edumen, Etu, Bunger, pater Borsu, Ousad, pater Vrsuuru, Boyta, a quo genus Brusca descendit, Retel, pater Oluptulma; cum vidissent pietatem Almi Ducis, quam fecit circa Ruthenos, pedibus eius prouoluti, se sua sponte Duci Almo subiugauerunt dicentes: ex hodierna die nobis te Dominum et Praeceptorem vsque ad vltimam generationem eligimus; et quo te fortuna duxerit, illuc te sequemur" Belae Regis Notarius Cap. X.

*) Cumaniae huius sic meminere litterae nostrae: „E Gazariae (Chazariae) prouincia exeuntes habuimus mare (nigrum) ad meridiem, et vastam solitudinem ad aquilonem, quae durat per viginti dies alicubi in latitudine, in qua nulla est silua, nullus mons, nullus lapis; herba optima. In hac solebant pascere Comani, qui dicuntur Capchat; a Teutonis vere dicuntur Valani. Et durat ista terra in longitudine a Danubio

vsque ad Tanaim, vbi est terminus Asiae et Europae, itinere duorum mensium velociter equitando, prout equitant Tartari. Quae tota inhabitatur a Comanis Capchat, et etiam vltra a Tanai vsque Etiliam (Volgam) Ad Aquilonem vero iacet Russia, quae siluas habet, et protenditur a Polonia et Hungaria, vsque Tanaim. V. Tomo IV. Vol. II. p. 268.

§. 34. Quasnam plagas, distributis per Arpadum Hungariae terris, obtinuerint Cuni hi, idem Notarius sequentibus insinuat: „Postea Dux Arpád per gratiam suam totam terram cum habitatoribus suis eidem Retel a Sátorholmu vsque ad fluuium Tulsuva (Tolsva) condonauit; et non tantum haec, sed etiam maiora his condonauit; quia Dux Arpád subiugata sibi tota terra Pannoniae, pro fidelissimo seruitio suo eidem Retel dedit terram magnam iuxta Danubium, vbi fluuius Wog descendit, vbi postea Oloptulma, filius Retel castrum construxit, quod Camarun nuncupauit; ad seruitium cuius castri tam de populo secum ducto, quam etiam a Duce aquisito duas partes donanauit (Cap. XV.) Similiter ad fluuium Soyó terras multas diuersorum locorum cum suis habitatoribus Edu ac Edumer obtinuit. Cap. XVII. Bors, filius Bunger, super castrum iuxta Buldua a se constructum, quod vocatum est a populo illo Borsod, eo quod paruum fuerit, Comes est constitutus, et tota partis illius cura condonatus. Cap. XVIII. Ad Tibiscum etiam prope Drugma Huhot, miles Cumanus magnam partem aquisiuit. Cap. XXVIII. Bunger, pater Borsii, magnam terram a fluuio Tupolucca vsque fluuium Soyó, qui nunc vocatur Miscoczy, et dedit ei castrum, quod dicitur Geuru (Diós Györ) Cap. XXXI. Idem Ár-

pád in loco, qui nunc dicitur Casu (Cassa?) dedit terram magnam Ousadunec patri Urzuur, et ibi hic ad caput fluminis Naragy castrum construxit; quod nunc Urzuur (Örs) nuncupatur. Hinc vero Dux Arpád et sui egressi venerunt vsque fluuium Egur — Idem Dux Árpád, in silua Matra, dedit terram magnam Edunec, et Edumeruec, vbi postea Pota, nepos eorum, castrum (Potuk) construxit" Cap. XXXII. „Dux Arpád et sui milites, egressi venerunt vsque ad stagnum, quod dicit Curtueltou, et manserunt ibi iuxta siluam Gemelcsen 34 diebus, et in illo loco Dux et sui nobiles ordinauerunt omnes regni consuetudinarias leges. et omnia iura eius, qualiter seruirent Duci et Primatibus suis et qualiter iudicium facerent, pro quolibet crimine commisso. Ibi etiam Dux condonauit suis Nobilibus, secum venientibus, diuersa loca cum omnibus habitatoribus suis, et locum illum, vbi haec omnia fuerunt ordinata, Hungari secundum suum idioma nominauerunt Scerü, eo quod ibi ordinatum fuit totum negocium regni; et Dux locum dedit Oundunec, patri Ete, a Thiscia vsque ad stagnum Botua, et Curtueltou vsque ad sabulum Olpar. — Postea vero, transactis quibusdam temporibus, Ethe, filius Oundu, congregata multitudine Sclauorum, fecit inter Castrum Olpar, et portum Beuldu aedificari castrum fortissimum de terra, quod nominauerunt Sclaui secundum idioma suum Surungrad, idest: Nigrum Castrum." Cap. XL. Denique idem Árpád Boytae pro suo fidelissimo seruitio dedit terram magnam iuxta Thysciam nomine Torhus" Cap. XLIV. Et versus castrum Borona — Eudunec, filio Ete, dedit terram iuxta Danubium cum populo non numerato;

et in loco illo, Eudu, subiugato populo illius partis, aedificauit castrum, quod nominauit vulgariter Zecuseu (Szekcsö) eo quod ibi sedem et stabilitatem constituit. Et Boytae eodem modo dedit terram magnam versus Saru, cum populo non numerato, quae vsque modo nuncupatur Boyta (Sárviz et Vajta in Comitatu Albensi) — Cap. XLVII." Cum ad insulam Cituorum, montem item Matrae, ac in districtu Baranyensi, Ormánság dicto, multos Paloczones nobis dictos, — absit omnis ignominia — degere comperiamus; et Scriptores Russici Cumanos, a Magyaris fusos, Poloczios vocent; opinandum mihi est Chunos, Hungaris ad Kiouiam sociatos, in Paloczonum nostrorum terris sedes nactos fuisse. *)

*) „Poloczios, ab Hugro fluuio Pannoniam versus tendentes, ad fluuium Tanaim fuderunt" Orsostouitius apud Beyer Collect. Petropol. Tomo X. p. 413. Vide argumenta plura in Dissertationibus Ill. P. Fr. Suhm versionis germanicae Chronici Nestoriani in fine. Chunos hos Germanis Valos quoque dictos fuisse, constat ex Ottone Frisingensi §. 24. laudato; tum ex Rubruquisii, cuius saepe meminimus itinerario Cod. Dipl. Tomi IV. vol. II. 268. E praemissis patet etiam institutum populorum Castrensium, ac Comitum, qui septem principalibus personis in praefectura et iudicatu videntur successisse, antiquissimi apud nos moris ac legis fuisse.

§. 35. Cabari, quos etiam se Magyaris sub ingressu associasse, nulla reuincit ratio sufficiens, vbinam ceperint sedes, quaestio oppido difficilis est. Dicam, quod mihi verissimum videtur. Siculos, vulgo Székely, in Transiluaniae, qua

Moldauiae contigua est, angulo, Scytharum, aut Chunorum Attilanorum reliquias, siue Siculorum ex Italiae extrema insula colonias esse: — dissentientia enim sunt de eorum origine testimonia — (Chron. Thuroczii p. 78. Belae Notarii Cap. L. Ranzani p. 334. apud Schwantner) sustineri sane nequit: quomodo enim trium millium manipulus contra gentium in oris illis tumultuantium colluuiem per secula tot libertatem, linguamque suam intaminatam potuisset tueri?! Sed nec veterum consonae traditioni, qua a Chunis deducuntur, ausim temere refragari. Censeo proin, ipsos a Chuno — Chazaris, Cabaris in specie, ortum suum iure deriuare; cum tribus haec primo iens ante castra Magyarorum loco, primas etiam e Moldauia egressa in Vltrasiluania ceperit sedes; quod etiam dialecto sibi propria, ac Principe e gente sua proprio, si Constantini in purpura geniti de Cabaris verba consideremus, videtur confirmari: „Cabari, inquit ille, a Chazarorum gente descendunt. Facta autem inter eos secessione, belloque orto ciuili, prior pars vicit; quique victi, pars occisi sunt, pars fugientes ad Turcas in Paczinacitarum terram se contulerunt, ibique sedes posuerunt, contractaque mutua amicitia, Cabari appellati sunt; vnde et Chazarorum linguam ipsos docuerunt; habentque etiam hodie eamdem dialectum; aliaque item Turcarum lingua vtuntur. Quia vero fortitudine bellica et strenuitate octo aliis gentibus praestabant, iisque in praeliis antecedebant, primum in tribubus locum obtinuerunt; vnusque in illis tribus Cabarorum populis princeps est ad hodiernum diem“ de adm. Imp Cap. XXXIX. Quae et Székelyiis nostris conueniunt, et cum relatione

Belae Notarij conciliari possunt. Somniant vero illi, qui nomen ipsorum seu a Scythulis, seu Siculis repetunt; quum a muniis militaribus, quae ipsis more patrio obtigerant, a custodia nempe limitum, sit exortum. Hi nempe antiquitus vulgariter Székeli compellabantur; quod primum obseruauit Samuel Timon, et Il. Vir Petrus Apor Transiluanus confirmauit testimonio Michaëlis Bay, in quadam parte Scythiae olim Nuncii, asserentis: custodes limitum ibidem actu Székelos (quasi „Székáló" circuitor) dici. V. in Imag. ant. et nouae Hung. in fine. Eo certius; cum nomen illud aliis etiam limitum Custodibus fuerit commune, vt Diplomata Belae IV. Stephani V. et Ladislai Chuni, Andreae III. RR. H. euincunt. „Cum Siculi de Wagh, olim per Comitem suum fuissent aggrauati, — nos eosdem Siculos a grauamine suo praedicto eximendos ordinaueramus, vt sub certo numero hominum, videlicet centum armatorum nobis et regno nostro in omni expeditione nostra seruire teneantur — Verum quia praedicti Siculi in libertate persistentes praenotata, nobis in omnibus expeditionibus nostris, vltra ipsam ordinationem nostram, quasi de virtute ad virtutem gradatim ascendentes, adeo gratum et laudabile seruitium impenderunt, vt noster regius animus frequentius in seruitiis quieuisset eorumdem: Nos huiusmodi fidelitatibus et seruitiis eorum laudabilibus de benignitate regia, grato recompensationis munere occurrentes, satisfacere cupientes, vt eo splendidius nobis seruire valeant, quo specialius amplectimur regio cum fauore, talem eis gratiam duximus faciendam: quod non sub certo numero, sed eo modo, sicut seruientes regales, per se, et

personaliter armati nobiscum exercituare teneantur." V. Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 547. sqq. Cf. etiam Dipl. A. 1256. Tomo II. p. 373. Ex Székelorum igitur nomine vulgari confictum est vocabulum Siculorum Transiluaniae. *)

*) Sedes Siculorum horum propius determinauit idem Bela R. H. Diplomate Anni 1256. sequentibus: „Vna meta est villae Kulchván, secunda est villa Baralath, tertia meta est villae Sumkerek; tendit inde versus villam Solmus; et ibi sunt duae metae. Inde per riuum tendit ad magnam siluam versus Siculos; et ibi sunt tres metae versus occidentem; vna meta pertinens ad villam Solmus, secunda meta ad villam Baraláth; tertia meta pertinet ad Siculos" V. Tomi IV. Vol. II. p. 372. — 3. Siluam proin magnam supra has possessiones ad Tirnauiam debuerant incoluisse. Ast e communione nominis Siculi hos Custodes limitum cum Transiluanis eosdem facere, non vacaret subreptionis errore.

§. 36. Chuni, qui Pacinacitarum, Picenorum, Bessorum et Bissenorum nomen promiscue gerebant, ex vicinia Transiluaniae, complures in Hungariam sunt recepti, et a Duce Zulta, Arpadi filio, in agro Moson. et Iaurin. ad tuendos contra Teutones regni fines collocati. — „Sub Principe Tocsun, Zultani filio, de terra Byssenorum venit quidam miles, de ducali progenie, cuius nomen fuit Thomizoba, pater Vrcund, a quo descendit Thomoy, cui Dux Tocsun dedit terram habitandi, in partibus Remey, vsque ad Tysciam, vbi nunc est portus Obad." An. Belae Not. Cap. LVII. Hi quoque propriis suberant Comitibus, ac certum numerum bellatorum ad exercitum regium tene-

bantur submittere, Sagittarios dictos. V. Diploma Anni 1222. T. III. Vol. I. p. 362. Ob primas, quas seu in inferenda seu propulsanda vi nacti sunt partes Proculcatores etiam dicti (Rajcsányi Tabulario Exc. Camerae Archiui Praefectus in Schediasmate A. 1757.) Reliqui autem Vduarnicorum, aut Tauernicorum etc. munia obibant. Geysa I. R. H. in fundationalibus Abbatiae S. Benedicti de iuxta Gran ait: „Dedi etiam villam Byssenorum ad arandum, nomine Taszar, super Sitoua, cum terra 20. aratorum" et paulo inferius: Insuper vero dedi aliam villam Huduornicorum Byssenorum ad arandum super eandem aquam Sitoua." V. Tomo I. p. 430. — 1. Item de Padán Tom. IV. Vol. III. p. 262. *)

*) Ex his quoque Bissenis, fidelitatis suae merito nonnullos in Regni Nobilium aggregatos fuisse consortium, Diploma Belae R. H. Byssenis de Padán (in Comitatu Sopron.) concessum indicat: „Cum Tauernici nostri, qui filii Byssenorum dicuntur, fideliter nobis seruierint: Nos consideratis meritis eorum tum quae nobis diligenter impenderunt, et impendere poterint in futurum; talem eis gratiam duximus faciendam; vt quandocunque nos habere exercitum continget, iidem — de villa Padán existentes ac eorum heredes, nec non posteri, inter regni nostri Nobiles perpetuo computentur, et nobiscum, et non cum aliquo exercituare teneantur" L. citato. Byssenorum nomen et sedes loca diuersa, Besnye, Besnyő hodiedum retinent. Nec tamen ideo Sagittarios vbique Byssenis adnumerare ausim; Stephanus certe V. R. H. Sagittarios ad Vagum nobilitauit ad Vagum, quin tamen ipsis nomen Byssenorum, vel locum Besnyő adtribuat V. Tomo V. Vol. I. p. 184. 5. etc. Memoriam in locis Lövő, Schützen, retinent.

§. 37. Chuni etiam, qui per Cumaniam magnam vagabantur, concordiam diu cum Maioribus nostris fouebant: Tocsun enim vxorem de terra Cumanorum duxit. Belae Not. Cap. LVII. Ast postquam inclinante Pacinacitarum regno Vzis aucti fuissent, Magyarorum ditiones ad Nyir et in Transiluania crebro incursabant, semper caede suorum. Ineunte seculo XIII. Religionis Christianae affectu, quam a Roberto A. Episcopo et Fratribus Ord. Praedicatorum de Hungaria sunt edocti, mitescebant. V. Tomo III. Vol. I. p. 264. Vol. II. p. 154. Non tamen penitus ab inuasionibus, Transiluaniae praesertim, abstinuerunt, per Fratres Ordinis Teutonici in terra Bozza excubantibus coerciti. Qui Baptismo suscepto Christo nomen dederunt, Siculorum Episcopo fuerant subordinati. V. Cod. Dipl. Tom. III. Vol. II. p. 245. — 6. etc. Item p. 151. 203. etc. *)

*) Easdem plagas seculo XII. Cumanos tenuisse auctor est, Anonymus, expeditioni Sacrae Friderici I. Imp. coaeuus et praesens, dum dicit: Cumanos illo ad Adrianopolim adhaerente a Graecis ob periculi, quod suspicabantur, praesentiam in auxilium contra Germanorum copias clam excitos fuisse." (Apud Murat, Antiqu. Lect. pag. 60.) Quod indicio est Cumanos eo tempore non longe a Thracia, qui situs Moldauiam et Cumaniam non obscure designat, abfuisse. Certe Anna Comnena eodem tempore iam Vzos in Moldauia locauit (Cap. 3.) Hic igitur Pacinacitae Vzi et Chuni in vnum corpus ita coaluerunt, vt Cumanorum nomine communiter deinceps venirent.

§. 38. Rerum potiebantur vsque annum Christi MCCXXXIX. quo Tartaro-Mongoles sub Ba-

thonis, aliorumque ducatu vastatis Russorum ac Polonorum terris, per ipsorum ditiones aditum in Hungariam quaerebant. Quamquam dupplici praelio victores, postrema tamen dimicatione victi sunt. Rex ipsorum Cuthenus venia et libertatis seruandae fide obtenta, in Hungariam veniens se, ac quadraginta suorum millia Regi Belae IV. subdidit, et ad Tibiscum, alibique terras, alendae tantae copiae suffecturas obtinuit (Rogerius de Destructione Hungariae Capite II.) Pacto hoc idem Bela Rex ius inter auitos Coronae suae titulos Cumaniae quoque axioma inserendi aquisiuit. *)

*) His ex partibus fuisse, Chunos sub Bela IV. R. H. ingressos, docent etiam nostrae litterae: „Comania ab occidente autem habet Hungariam. — Et est Comania terra maxima, et longa; cuius populos, scilicet Comanos, Tartari occiderunt; quidam tamen a facie eorum fugerunt; et quidam in eorum seruitutem redacti sunt. Plurimi autem ex eis, qui fugerunt, ad ipsos redierunt.“ Ascellinus Cap. 23. pag, 433. Tom. IV. Vol. I.

§. 39. Chuni hi, qui post dirissimam cladem quam vnquam perpessa est Hungaria, supererant, sub regibus Bela IV. Stephano V. et Ladislao Chuno in bellis singulis ex aequo socii, libertatibus ac praerogatiuis diu pro arbitrio Principum, virtutisque suae merito concessis fruebantur; postquam studio Firmani Episcopi, Sedis Apostolicae Legati potissimum, depositis superstitionibus, moribusue auitis, in baptismum suscipiendum, sedesque fixas tenendas consenserunt; pristinis sedibus restituti Nobilibusque Hungariae in iuribus et obligationibus sunt coaequati; iudicio Palatini regni, sicut tempore

Belae Regis fuerat institutum, subiacentes: „Ladislaus, D. gr. Rex Hungariae — — ad vniuersorum notitiam volumus peruenire: quod nos — — Dominos de Comanis et Nobiles Comanorum, ac totam gentem eorumdem, in regno nostro existentem, solenni et publica congregatione in regno nostro facta, et diligenti deliberatione cum Baronibus et Nobilibus regni nostri habita descendere fecimus modo ac locis infrascriptis. — Quia copiosa multitudo Comanorum copiosum terrae spatium cupiebat, statuimus, vt hi, qui cum generatione sua inter Danubium et Tibiscum, aut iuxta flumina Cris, vel inter flumina Moruz et Kriz, aut ex vtraque parte fluminis eiusdem, vel inter flumina Themus et Morūz, aut circa eadem descenderant, et non alias, sed super eisdem fluminibus, seu locis, siue terris, quibus primitus quamlibet generationem cum suis tabernaculis Dominus Bela Rex, auus noster, illustrissimus R. Hung. inclitae recordationis, descendere fecerat, ibi et nunc descendant et resideant modo praemisso (in villis, more Christianorum, in aedificiis et domibus solo fixis) tanquam N o b i l e s regni nostri. — Hi et Comani aequali praerogatiua gratulentur. Praecise expressimus, quod Domini et Nobiles Comanorum vniuersi, et singuli ad nostrum exercitum, ad quem nos personaliter accesserimus, venire teneantur, sicuti ceteri Nobiles regales seruientes; et si qui ex iisdem negligentes exstiterint, eandem vltionem, idemque iudicium patientur, quam vel quod incurrent alii Nobiles regni nostri, qui non veniendo exstiterint negligentes. Nec hoc praetermittimus, quod iidem Domini de Comanis et nobiles et vniuersitas Comanorum iudi-

cio Palatini regni nostri, qui fuerit pro tempore constitutus, subiacebunt, sicut tempore Belae regis, aui nostri fuerat institutum; qui quoslibet cum incolis regni nostri in omnibus articulis iudicabit, assidente ei iudice, seu principe, qui in generatione qualibet fuerit institutus; prout a tempore aui nostri extiterat obseruatum." Vid. Tomo V. Vol. II. p. 512. sqq. *)

*) Exiguo tempore manserint Chuni post caedem regis sui Kutheni iudicio Palatini subiecti: nam Stephanus rex iunior, postquam ipsi cum Patre suo Bela non conuenit, I u d i c a t u m C u m a n o r u m constanter sibi vindicauit, testantibus nostris Diplomatibus. Ipso vero regnum ex toto adepto, M o y s e s Palatinus occurrit mihi primus, qui vna I u d e x fuit C u m a n o r u m. Mox res ipsorum ita efloruerunt, vt e gente sua habuerint Hungariae Palatinum et Iudicem suum, Mok, alias Mokianum dictum. Vid. Diplomata. Cumanos Comitiis iam 1298. interfuisse legimus.

§. 40. Chuni superstitioni, moribusque gentilibus pertinaciter addicti, postquam facta secessione, fugam in sedes pristinas moliti ad Ilvaszeg graui clade caesi sunt, magnam quidem sui immunitionem passi sunt; quam tamen Ludouici primi R. H. virtutis ac laudis bellicae fama denuo exciti sarserunt. Erantque hi prius Thomae Vajuodae Transiluani potestati subditi; ast subin eiusdem regis benignitate, postquam incitante ipso, auitae superstitioni, sacra Christiana amplexi, nuncium misissent, suis in Hungaria cognatis adunati, horum iuribus et priuilegiis donati, atque Palatino Regni ex aequo subiecti fuerant. V. Diploma anni 1343. Erat ergo hic Chunorum in Hungaria descensus tertius et vltimus. Subsequis iam temporibus Cu-

mani sub rege Sigismundo et Principibus Transiluaniae e Magyaris adepti sunt colonias, qui nomine Changó Magyarorum in 13. Moldauiae, ac nonnullis Tartariae Crimeae pagis supersunt. V. Tudom. Gyüjt. An. 1825. Ternione VI. *)

*) „Anno 1343. Nicolaus Palatinus Comitem Buthemer, de cognomine Nonukuk cum suis proximis et Cumanis in suo descensu, et sub suo Capitaneatu existentibus, condam ad Thomam Vajuodam Transiluanum pertinentibus, quem Excellentissimi Domini Ludouici, Dei gratia, illustris regis Hungariae benignitas, ab cuiuscunque Capitaneorum Cumanorum iudicatu exemptum, sibi transmisit seruiturum, expresse cum suis Cumanis in suo descensu existentibus, et suo Capitaneatui pertinentibus protegendum ita, vt post Regem non alteri, nisi sibi, Palatino subesse, et cum eo ad seruitia regis proficisci teneantur; nec iudices alii, quicunque illi sint, molestare ausint, sed querulantes ad se pro satisfactione habenda recurrant, committit."

§. 41. Nostrates Chunorum, quorum sedes ac descensus hucusque lustrauimus, veros ac genuinos esse posteros; vel nomina locorum, Chunicum nomen plerumque redolentium, sufficienter docent: Sunt ea quippe in Cumania Maiori: Kun-Szent-Márton, Kun-Hegyes, Karczag-Ujszállás, Kis-Ujszálás, Madaras, Halas, Kolbás, Turkewe etc. In Cumania Minori: Kun-Szent-Miklós, Félegyház, Halas, Fülöpszállás, Szabadszállás, Laczháza, Dorozma, Majsa, etc. Habentque actutum multa cum antiquis sedibus, ac moribus communia; de quibus Hayton, Scriptor seculi XIV. sic est testatus: „Regnum Cumaniae est valde magnum — — quasi totum planum; et in planitie non reperiuntur ar-

bores, siue ligna, nisi forte iuxta aliquas ciuitates, quae pomeria quaedam habent. In campis et tentoriis (Szállás) habitant; stercora comburunt animalium — loco ligni" etc. Histor. Orient. edit. Helmstadi. A. MDCXXXV. p. 5-6. *)

*) Chunos, Turcarum in partibus illis Dominio multum imminutos, ex aduenis, potissimum Hungaris, aggregatos aeuo subsequo esse, censeo ignotum nemini.

§. 42. Cum Chunis, quos hucusque deduximus, aut penes ipsos, accolunt Iasones, vulgariter Jazyges, genuino nomine Iászok; horum quoque ideo ortus, natales, annon Iazygum, orbe antiquo florentium, apud nos reliquiae? diligenti non minus studio inquirendum. — Regionem Hungariae, quae infra montana campos Tibiscum inter ac Danubium patentes occupat; ante Chunorum Attilanorum has in oras aduentum Iazyges incoluisse, fide Historiarum certum est. Triplices fuerant Antiquis noti: 1.) Iazyges Basilei: Sarmatiam Europaeam meridionalem, qua Orientem vergit, inhabitantes. V. Ovidium Pont. epist. II. v. 79. Item Tristium II. v. 191. 192. 2) Iazyges Maeotae Sarmatiam Asiaticam a palude Maeotidis Boream versus pererrantes: Vide Ptolomaeum Lib. III. cap. III. p. m. 38. 3.) Iazyges Metanastae; alias vagi, Daciam occidentalem, a Roxolanis horsum retrusi, Danubium vsque obsidebant. V. Plinium Hist. nat. IV. 25. — Tacitum Annalium XII. c. 29. Hist. III. 5. Strabonem Lib. VII. Ptolomaeum l. c. Tabulam Peutingerianam, ac denique Marcellinum lib. I. p. m. 8.

§. 43. Iazyges hos Sarmatás fuisse non minus certum: Metanastas enim Scriptores laudati

maximo cum consensu Sarmatas dixerunt: in Tabulis Peutingerieanis inscribuntur Sarmatae vagi; Straboni sunt Sarmatae cognomento Iazyges; Ammiano Mar. Iazyges Sauromatum pars; Plinio Iazyges Sarmatae etc. Lingua Sarmatarum num Gothica, an potius Slauica fuerit, disputatum quidem fuit inter Eruditos (Vide: Ioann. Seuerini Comm. Hist. p. p. 18. Salagium de Statu Eccl. Pann. Lib. I. p. 198.); ipsos genuinam Magyarorum linguam locutos fuisse, primus Fr. Otrokocsius in Orig. Hung. P. I. cap. II. contendit. *)

*) Laudatus Otrokocsius in Origine Hung. eo seductus est argumento, quod Urgos Strabo, Chunos Plinius, Hunnicam progeniem apud Pontum Euxinum in vtraque Istri ripa sedes habuisse, dixerit: Quoad Vrgos Strabonis lepide argumentum elisit Samuel Timon dicens: „Si propter duas tresue litteras, quae in vocabulis diuersarum linguarum inueniuntur, quasi ad liquidum explorata veritate, priscos gentiles suos dicere, aut patres ciere licet; multo planius apertiusque quis ostenderit, Ptolomaei Pannonios Auáriscos, Oravcios, seu Aruenses nostros, esse.“ Im. antiq. Hung. L. I. c. XIII. E sedium autem, quae aeuo illo alios et alios semper videbant Dominos, identitate inferri nihil plane potest.

§. 44. Iazyges proin Metanastas Iasonum nostratium, qui purum et genuinum Magyarorum idioma loquuntur, aborigines fuisse, vel ipsa labiorum diuersitas conuellit. Arguit etiam discrepantia nominum, quibus Metanastarum oppida et Iasonum sunt distincta: illorum nihil commune genti nostrae sonant apud Ptolomaeum: Isce-

num, Gormanum, Arbieta, Trissum, Parca, Candanum, Pessium, Patiscum etc. Iasonum vero nostratium Magyaricum resonant: Jászberény, Apáthy, Árokszállás, Fénszarv, Kisér, Ladány; Alsó et Felső Szent György, Mihältelek, Dósa, Jákó-halma etc. Nec dicat quis: ipsos linguam auitam dedicisisse, et Hungaricam praeoptasse: siquidem apud nos gentes singulae, quaecunque hospitio donatae sunt, ipsi adeo vagi Zingari, suam pertinaciter coluerunt, coluntque linguam; vt proin Iazyges solos linguam suam neglexisse, miraculo fuisset proximum. Constat etiam: Iazygibus Metanastis, primum Romanorum, tum Seruorum suorum armis attritis, populis se fortioribus, Chunis Attilanis, Gothis, Gepidis, Auaribus, etc. locum cedendum fuisse; quamobrem Iasones nostrates ipsorum esse posteros nulla persuademur ratione. *)

*) Iazygum Metanastarum in oris his fortunas recensuit RR. Katona in Podromo Geogr. Histor. Eccl. Coloc. P. I. p. 24. sqq.

§. 45. Sunt proin Iasones nostrates Chunorum Hungariae genuini ac proprii cognati, a genere, quod obibant, militiae sic cognominati. Scilicet, vt docuimus iam §. 25. e gentibus singulis, incolatum inter Magyaros adeptis, ritu ac lege Maiorum nostrorum, quidam, certo numero, ad specialia militiae munia fuerant adstricti; alii ad custodiendos limites, alii ad tuenda castra, alii ad exercituandum distincto genere armorum; hincque orti: Speculatores (Őr) Siculi (Székely) Sagittarii (Lövő) Lanceati (Dárdás). Chuni nostrates arcitenentes, alias Pharetrarios obligabantur ad exercitum regium mittere ex antiqua

consuetudine, documento Diplomatum Caroli Roberti, ac Sigismundi; ac postquam sub Mathia Coruino, tormentorum, scloporumque vsu inualescente, pharetrarii necessarii esse desierunt: sic dicti Iazyges in redemtionem seruitii sui pristini censum Pharetrariorum habebant soluendum. *) A tractando arcu, qui nobis est Ij, compellati Ijász (pharetrarius) permodum halász (Piscator) a hal, (pisce), vadász (Venator), a vad (fera), etc. Ex Ijász vero per syncopen factum Iász; ex hoc corruptum nomen: Iaszones, quo primum sunt compellati; sicut ex Huszár confictum manauit Huszarones, ex Hajdu Hajdones etc. Ex ignorata vi nominis, per Scriptores exteros (Princeps Rauzanus Apulus) dicti Iazyges. Sed et communis sedes, communio iurium et praerogatiuarum, quibus Iasones, ac Chuni nostrates gaudebant gaudentque continuo, genuinam ipsorum cognationem affatim demonstrat. Sicut proin Chuni Transiluaniae et ad Vagum nomen Siculorum non ab originibus suis Scythulis aut Siculis Italiae, sed ex genere munii sui militaris, Székely; sic quoque hi non a Iazygibus Metanastis, sed qua arcitenentes, pharetrarii, Iaszonum, demum Iazygum compellationem sunt sortiti.

*) Anno 1323. Carolus Rex Larzan, filium Zokan, Ioachin, filium Turduch, Iacobum filium Keskén, Charek, filium Ambultan, Demetrium, filium Subul, Stephanum, filium Beegzan, Paulum, filium Mókzun, Andream, filium Chakan, Zacharan et filium eiusdem, Demetrium, filium Keyan, Stephanum, filium Kurmanhurz, Arpan, Andream, filium Zuagan, Zaduch, filium Kalchen, Georgium,

filium Magyar, et Petrum, filium Chamaz, Iaszones fideles suos, se et fratres ac cognatos, nec non socios suos de generatione sua a potestate, dominio et iurisdictione filiorum Keverge, et aliorum quorumlibet eximi, et in coetum Iaszonum, specialiter regiae Majestati exercituare debentium transferri supplicantes, ob eorum, et aliorum ex generatione sua praeclara merita, et bellica seruitia, praenominatos Iaszones cognatos, proximos, socios posteritatesque eorumdem a quorumlibet potestate eximit, et reliquis Iaszonibus adiungit, vt iis priuilegiis et iuribus, quibus alii Iaszones gaudere possint.

Anno 1425. Sigismundus querulantibus Iászonibus de Ujszász et Szarvas detulit: vt Ioannes et Petrus annis singulis quilibet eorum 20 florenos, Thomas vero 16. florenos centenarios, seu 100 denarios valentes, in medium reliquorum Iaszonum soluere teneantur; praeterea dum et quando tempore congruente vniuersitate Iaszonum regalium de regio mandato exercituante, et regiam expeditionem, ad quam ex consuetudine obligantur, fieri contingeret, ex tunc iidem Thomas, Ioannes et Petrus ad huiusmodi exercitum regium cum octo pharetriciis, in eorum expensis proficisci teneantur." Idem praecipitur litteris eiusdem Sigismundi de anno 1428.

**) Anno 1458. Mathias Coruinus erga instantiam Emerici de Szentgyörgy, Zubor de Boldogháza, Galli Sándor de Árokszállása, Pauli Goszton de Uyszász, Iacobi Balaza, et Georgii Taytho de Negszállás, Ioannis Gazdag de Berénszállás Philistaeorum et in personis eorum, et vniuersorum aliorum Philistaeorum confirmat priuilegium Sigismundi regis anno 1428. datum, quo me-

diante reflexione ex illa, quod Philistaei per charistiam seu famem priorum annorum in magnam penuriam et inopiam deuenissent, et alioquin ipsi Philistaei ex dispositione regiae Maiestatis et iussu certam pecuniam quotannis soluerent, et soluere obligarentur; omnes iudices eorum forenses seu officiales regios per se, Sigismundum, pro iudicibus Philistaeorum nominatos, ac alios quoscunque familiares suos inhibet idem Rex Sigismundus, ne, quando in medium Philistaeorum causa negotiorum mittuntur, aut veniunt continuatiue commorari, seu residentiam facere, aut ab ipsis victualia, vel pro his pecunias extorquere, aut eos quoquomodo damnificare audeant; e contra mandat Philistaeis, vt omnes et singulos census, prouentus et obventiones, vinorum cybriones, ex parte eorum regiae Maiestati prouenire debentes, semper debitis temporibus eo, quo iussi fuerint comportare, et deferre, illos etiam p h a r e t r a r i o s, seu homines exercituantes, quos ipsi Philistaei regii de ipsorum medio ad exercitus regios e regia commissione et dispositione dirigere debent, semper debitis temporibus appromtuando — illico expedire teneantur."

A. 1473. Mathias Coruinus vniuersos Philistaeos ab inconsuetis censibus exonerare cupiens, ab eisdem onus lucri camerae, a cuius solutione ab antiquo immunes erant, remouendo, ac ab omni taxarum, collectarum et contributionum in medium regnicolarum per hos soluendarum deinceps eximendo, et eos ad censum antiquum, nempe 300. florenorum auri, in festo B. Georgii et Michaëlis deponendum, postea 300. florenorum auri, qui p r o u e n t u s p h a r e t r a l e s d i c u n t u r, singulis annis soluendorum reducit. — Diplomata haec in Codice Diplomatico per extensum dabuntur.

Diplomata haec in extractu communicata, cum aliis 45. ex archiuo Palatinali Franciscus Subich, penes Seren. quondam Albertum Caesareo - reg. Principem ac Locumtenentem Hungariae a Secretis prodidit. Documenta Chunorum et Iasonum plurima in archiuo Ordinis Theutonici conduntur.

§. 46. Nec mirum cuiquam videatur, Chunorum arcitentibus serius etiam, vsu pharetrarum euilescente, Iazygum, gentis alienigenae, nomen in ipsis quoque Regni decretis inhaesisse: Stephanus Bocskay, Transiluaniae Princeps, propria familiae suae, et aliorum praedia aliqua, bello contra Rudolfum Imp. ac R. H. confecto, militibus suis pedestribus, Hajdonibus dictis, aliquot millium numero, distribuit; ac hae ipsorum coloniae, oppida Hajdonicalia dicta, nomen suum retinent hodiedum, quamuis pauci ex ipsorum descendentibus supersint; occasioneque belli non amplius Hajdones, sed Huszaros habeant statuendos. Pari naeuo laboratur, dum incolae Nagy et Kis-Orozenses, etiam in Diplomatibus, Rutheni compellantur (V. ipsorum priuilegia a Vladislao II. obtenta MSS. Kaprinay Tomo L. sub B. p. 279. et sqq.) licet a gesto munere, custodia nempe portae aulae regiae — hoc enim nomen Oroz nostro idiomate olim valuit (V. Parispai Dictionarium) — sint nomen illud consecuti; errore Istvánfii, qui ipsos contra fidem Historicam a Ruthenis deduxit, quorum tamen nec linguam, nec ritus profitebantur vnquam, Rutheni passim cognominantur. Scilicet: stilus noster curialis non vno, sed plurimis, infectus est erroribus.

§. 47. Iasones nostrates Philistaei etiam sunt compellati, ac quidem in legibus quoque patriis vs-

que ad annum 1681. in quo iam iunctim „Iazyges Philisthaei" cognominantur. Cur hoc? An a Philistaeis, per Iosuam e Palaestina exactis, in gentis ignominiam?? — Sed quis reddat omnium Nominum etymon? quae saepe aut casus inuenit, aut sine vlla ratione vulgus imposuit." Stilum nostratium curialem non vacare erroribus, iam vidimus. Philistaeorum nominis sub stirpe Arpadiana non aliud apparet vestigium, quam quod decreto S. Ladislai L. I. ad Cap. 9. in glossemate subnectitur: „Ismaëlitas, alias Philistaeos, aut Saracenos dictos fuisse." Sed si Ismaëlitae, ac Saraceni Philisthaei, quomodo Iasones nostrates Philisthaei? Iasones hos Ismaëlitas origine fuisse, docuit, quod sciam, nemo. Potuit proin ipsis nomen quoque istud errore, ast non in ignominiam, sed laudem potius, adhaerere: ab arcubus maxima dexteritate tractatis. Notum quippe fuit iis, qui litteras confecerunt regias, Philistaeos Palaestinae viros sagittarios fuisse (Cf. Reg. I. Cap. XXXI. v. 3. etc.) ab hac arte fuerant etiam Chuni celebrati: „Cumani arcu docti et sagitta (apud Alb. Aquensem de Alexio Comneno L. IV. p. 253.) „Defecerat Hunnos ars etiam ipsa prae pauore, qua magnopere gloriari solent. Fugientes enim magis propulsant eos, qui sese acriter insectantur, retroversim sagittantes. Tunc enim etiam violentius sagittae scopo, quem petunt, infiguntur; quando illae quidem magno impetu recta feruntur in persequentes, et hi ex aduerso occurrentes in sagittas proruunt, contraque feruntur; grauioremque sibi ipsis plagam efficiunt occurrendo, et sagittas e proximo excipiendo" ait Agathias Schol. p. 113. edit. Ven. 165. edit Paris. Chunorum proin Arcitenentes

honorifice potuerunt Philistaci compellari. Sed haec iis, qui vtilius Patriae non norunt seruitium praestare, disceptanda relinquimus. *)

*) Jasones nostrates a cognomine Philistaorum anno nonnisi 1751. sunt liberati; articulo XXV. Jazyges duntaxat et Cumani dicti! Vtinam Jazygum quoque nomen intermitteretur.

IV. De Magyarorum ac Chunorum cognatione.

§. 48. Ex his, quae longas per ambages, summa rerum fastigia secuti lustrauimus, mihi equidem patere videtur: Magyaros a Chunis non solum per semet ipsos, sed etiam per gentes, quarum in vicinia diutius agitabant, continuo distinctos fuisse: 1. nomine: Magyari enim dicti sunt Sinensibus Megari, Armenis Guda Makari, Persis Magyari, Turcis Madsari, Russis Vgri, Graecis Turci occidentales, Latinis Hunoguri, Hunuguri, Vngri, Hungari etc. Chunos Sinenses nominarunt Hiongnu (proprie: Chiun-Niju) et Geugen, Armeni Hunos, Persae Sacas, Kermichiones, Russi Polovczios, Graeci Turcos orientales ac Hunnos; Latini Vnnos, Chunos et Hunnos, etc. 2) Auitis sedibus, quas reliquerunt: Magyari emigrarunt ex Hungaria magna, regionibus nempe inter fluuium Volgam et Iaik, supra Bulgariam magnam diffusis. Chuni eruperunt e faucibus Caucasiis ad Paludem Maeotidem vergentibus. 3) Incunabulis: Primae Magyarorum sedes ad Samarcand, alias Saranga, Vrbs Sogdianae antiquitus, vbi nunc Regnum Chiwae, vrbs Vrgenz, ac Turcomannia; Chunorum vero: ad Gorgo, in Turfan; a limitibus Persiae remotissime ad orientem. 4) Indole ac constitutione regni: „Ma-

gyari Principem indigenam vel alienigenam habuerunt nunquam; sed erant inter ipsos Boëbodi quidam (Duces, Principales Personae.)" Item: „Octo Turcorum gentes Principibus suis subiectae non sunt; sed singulae pro fluminibus, quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt: quamcunque partem bello infestari contigerit; ei communiter omni studio, et cura suppetias ferre." Ita Constantinus Porphyrogenneta de adm. Imp. c. 38. 39. Chunis ex aduerso Reges, Chagani (Chani) praeerant ab antiquo: „Leo I. Augustus cum Hunnorum Rege bellum gerebat propterea, quod Hunni minime tributum inferebant, quod illis olim Persarum et Parthorum Reges imposuerant" Priscus in excerptis p. 74. 75. 5) Idiomate: Incolae Hungariae magnae omnino Hungaricum habebant idioma, et intelligebant Fratrem Iulianum, et ipse eos. — Idem Iulianus tamen idioma Magyaricum a Cumanico palam distinxit. Cod. Dipl. Tomo IV. vol. II. p. 55. Discrimen hoc testatur etiam Constantinus in purpura genitus: „Vnde etiam Cabari Chazarorum linguam ipsos Turcas docuerunt" inquiens de adm. Imp. Cap. XXXIX. Innuit etiam Rogerius de destructione Hungariae (cap. XIV.) „Plusquam per annum praedictus Kuthen (Rex Cumanorum) praeuenerat Hungaros, vt conditiones terrae addisceret, et linguam faceret sibi notam." Rationes hae sufficientes sunt Magyaros a Chunis tribu discernendi. *)

*) Iasonum proin idioma ab Hungarico dissimile recte statuebat Ranzanus Apulus in Epitome rerum Hungaricarum: non conueniente enim Chunorum, nec Iasonum potuit eidem conuenire.

§. 49. Erant tamen Magyari cum Chunis genere cognati: 1. ex lingua: Laudatus Constantinus, qui primus eiusdem meminit, linguam vnam ab altera dialecto variasse testatur: „Habentque etiam hodie eamdem dialectum; aliaque item Turcarum lingua vtuntur" l. c. Sed et Chazarorum Chaganus cum Lebedia, ac cum Maioribus nostris sine interprete est locutus, teste eodem Constantino Imp. „Ad Chaganum Chazariae profectus Lebedias interrogauit: quae ipsius vocandi causa esset? Cui Chaganus: ideo se ipsum vocasse, vt ipsum gentis principem faceret. Cui ille: —. parere non possum; sed est alter a me Boëbodus, Salmutzes (Almus) nomine, qui et filium habet Arpaden nuncupatum; horum siue Salmutzes, siue filius ipsius Arpades Princeps fiat. — Placuit haec oratio Chagano, virosque cum ipso ad Turcas misit, qui cum sermonem eum ipsis communicassent, visum potius illis fuit Arpadem Principem constituere" de adm. Imp. cap. 38. Et Fratres Praedicatores Evangelii annunciandi causa ad Chunos profecti, lingua his nota vti debebant. V. de Fratre Paulo Hungaro Sig. Ferrarii Hist. Ord. Praedic. Prouin. Hung. p. 40. Innotuit hoc etiam Scriptoribus Chronicorum nostrorum: (Magyarorum) „Posteritas Persidem inhabitans regionem, statura et colore similes sunt Hunnis; tantummodo differunt parum in loquela sicut Saxones et Thuringi." Chron. Bud. apud Thur. Parte I. cap. 2. Eadem prorsus verba habet Chronicon Simonis de Keza, quod Ladislao Chuno inscripserat. Persuasi erant etiam Romani Pontifices de eo; ideo in conuertendis Cumanis nostratium Praedicatorum opera vsi sunt constanter: bullis in Codice Diplomatico productis

comprobantibus. 2) Sanguine antiquissimarum traditionum consensu: „Primus Rex Scythiae fuit Magog, filius Iaphet, et gens illa a Magog rege vocata est Moger, a cuius etiam progenie regis descendit nominatissimus atque potentissimus Rex Athila", Belae Notarius apud Schwantner P. I. Cap. I. p. 3. „Vt Scriptura S. et Sancti Doctores dicunt Hungari descenderunt a Magog, filio Iaphet, qui post diluuium anno 58. intrauit terram Euilath, et ex coniuge sua Enech genuit Hunor et Magor; a quibus Huni et Magyari generati et denominati sunt." Ibidem p. 45. Chronicon Thuroczii. Ideo etiam Magyari sicut Chuni origine ac primis sedibus Scythae: „Neque vero Symocattus modo, sed etiam multi fide digni memorant Hunnos gentem esse Scythicam" Eustathius Commentario in Dionysium Periergetem. p. 373. Coccius Sabellicus: „Nemini dubium sit Vnnos, siue Vngaros Scythas esse. *)

*) Si penitus alia Chunorum lingua a nostra fuisset, cuius opera Cuthenus, ceterique Chuni pauli infra anni spatium Hungaricum intellexissent? Quomodo Belae IV. ipsorum passim admissorum colloquio vti tam familiariter potuisset, vt isthinc Magyari praecipuam odii in Chunos et regem ansam sumerent? cogitari satis non potest. Certum ideo ferme est, Chunos ab Hungaris dialecto solum, non item lingua diuersos fuisse; quam etiam diuersitatem commercio cum ipsis sensim dedicerint. Hac cognatione decepti, seu gloriam suae gentis amplificandi studio Magyaros cum Chunis eosdem Scriptores nostri sunt commenti.

§. 50. Ex his elarescit Magyaris propinguos omnino esse 1.) Finnos cum omnibus suis propaginibus: reliquiae enim sunt Chunorum, a Periergète iam commemoratorum, qui cognati nobiscum sunt. 2.) Turcomannos et Turcas, Imperii Ottomannici fundatores: primi enim sunt indubitati Chunorum Orientalium in sedibus auitis posteri; item Turcae, qui elapsi inde, in vicinia montis Caucasi, supra Armeniam considentes, imperium Ottomannicum fundauerant: „Ipsi enim Turci de se praedicant, se ex vetusta Hunnorum colonia, quae in vicinia Caucasi consederat, ortos esse" Abbè de Porte in Itinerario p. 339. Consentit Scylax et Gaza quoque. 3.) Osi, Abari, Calatschae etc. Caucasiae populi: sunt enim Vzorum, Chazarorum, aut aliarum tribuum Chunicarum reliquiae. 4.) Inquusii, ac Battili in occidentalibus Caucasi iugis, ad Septemtrionem, qui origine Magyarica gloriantur. 5.) Gentes Vogulicae et Condinicae ad Volgam, Magnae Hungariae incolarum posteri. 6.) Bulgari primigenii: horum enim Parentes in claustris Caucasiis separarunt se ab Hungaris, ac primum ad Volgam regnum fundarunt: ex quo subin ad fines Thraciae, in Bulgariam nigram, concesserunt. *)

*) Hae gentes ab antiquissimis temporibus viuunt ab inuicem disiunctae; alio sub coelo, aliis moribus ac commerciis; proin alias quoque formauerint, aut mutuati sint voces, formas etc. est necesse; hinc mirum haud est, si mutuo semet, vt Sajnovicsius de Finnis et Laponibus testatur, nequaquam intelligant; cognationem suam traditione, aut litteris duntaxat conseruent; indagantiumque operam frustrentur.

§. 51. Innocentio Desericio perennis manebit gloria, Magyarorum a Hungariae magnae incolis, ortum, ac egressum e monumento authentico Vaticano detexisse, ac illustrasse (§. 5.) In quantum ipsos cum Chunis Attilanis eosdem asseruisse videtur, Chronicorum nostrorum erronea traditione, praeiudiciorumque vi abreptus fuit; videtur inquam asseruisse: nam alias recte arguit: „Perperam Hungaros ab Hunnorum (Attilanorum) posteris genere seiungi; genere vtique iidem, non item tribu.“ *)

*) Historicis nostris, qui seu communi origine spectata, seu gentilis gloriae ampliandae gratia, Magyaros cum Hunnis Attilanis eosdem, nomine solum distinctos, traditionibus inuitis, perhibuerunt, ignoscendum est; cum ambitione hac omnium fere nationum Historici laborent; ad Hunnosque Attilanos tales etiam nationes se iunxerint, pro quibus nulla pugnat ratio cognationis; quod eruditis per bene notum est (Eccard!)

§. 52. RR. Georgio Pray — studiorum meorum quondam moderatori — quod gratitudinis ergo commemoro — debemus, debebitque omnis posteritas, Chunorum Historiam, aliquot ante Christum secula protulisse vindicasseque; is contra inueteratas opiniones primus intonuit: „Si prima vniuersi corporis incunabula spectes, Finni, Hunni, Auares, et Hungari, eadem mihi ortu gens sunt et populus; tametsi postea, quod fere vsu venit, in ramos diuisi, vti diuersis nominibus, sic variis quoque dialectis inter se se differrent“ Dum Sinnicis fontibus totus intentus (§. 5.) ad Hunnorum in campis quoque Caucasiis incolatum mentem haud aduertit, veniam meretur; ast

Magyaros nostros cum Turcis, hoc est: cum Hunnis, orientalibus, a Tartaris Topais versus auitas sedes retrusis, eosdem sine ratione sufficiente videtur mihi fecisse. Quinam etenim illi? et vnde Turci has in Europam emisissent colonias? Plinii certe tempore, a Pomponio Mela commemorati, sub nomine Scytharum, Parthorum subditi, aut socii latebant: „Vltra flumen Iaxarte (in auita proin Turcorum sede) quod Scythae Sylin vocant, sunt Scytharum populi. Persae illos Sacas in vniuersum appellarunt. — a proxima gente. — Multitudo populorum innumera, et quae cum Parthis ex aequo degat. Celeberrimi eorum Sacae" Libro VI. Capite. XIX. Sacas hos fuisse appelatos Turcos monuit Menander: „Turci, qui antiquitus Sacae vocabantur." Except. pag. 102. edit. Ven. Idque circa aetatem Theophilacti: „Hunni, gens Scythica sunt, habitantes orientem, vbi vicinus est Persis, quos Turcas etiam nominari, pluribus iam constat." In iisdem excerptis p. 120 edit. Venet. His autem temporibus iam Chuni Attillani, a dimidio nempe Seculi quarti vsque medium V-ti Pannoniae dominabantur. Regnum, quod Hunni Ephtalitae, alias Turci, in orientalibus Persiae limitibus diu tenuerant, alii, e vicinia Sinensium retrusi, antiquitus Sacae appellati, fundato in Turfan regno, solioque ad Alpes Altai, alias montis Aurei, tum propter similitudinem cassidis Turc dicti (a quo etiam Turci compellati censentur), bellis Persicis, postquam luxu diffluxisset, infirmatum, subiugarunt. „Turcorum Legati ad Iustinum (Imperatorem) admissi (circa anno 568.) dixerunt Chaganum suum subegisse Ephtalitas eosque tributum pendere coëgisse. Omnis igitur, inquit Impe-

rator, concidit et a vobis est euersa Ephtalitarum potentia? Maxime, inquiunt Legati. Iterum Imperator: an in vrbibus, aut vicis habitabant Ephtalitae? Gens, o Domine, vrbes colit. Ergo, subiecit Imperator: manifestum est, vos omnium vrbium, quae illorum fuerunt, effectos esse Dominos. Sic est, Imperator! dixerunt." Ita Menander in excerptis p. 128. edit. Ven. Cf. etiam Theophilactum L. VII. Cap. 7. — 9. Regnum vero Turcarum orientalium, de quibus diximus, Arabes, occupata prius Persia, subiugarunt, Mawar-al-Nahr, seu regnum trans fluuium Gihon compellatum; possederuntque vsque annum 892. V. Elmacin Historia Saracenica. Lugd. Batau. 1605. in 4-to p. 54. Cf. etiam Cedrenum in corpore Script. Bizant. Tomo VIII. p. 545. Regnum proin Turcicum aeuo illo, quo Maiores nostri ex Asia emigrarunt exstitit nullum; et quod exstiterat in Turfan 400 — 500. milliaribus fuit a Volga dissitum (vt Cel. Schlötzer obseruauit l. c.) Quo tempore? qua causa? tantum confecerint spatium, Reuerendissimus auctor non prodidit. Sclilicet: dum et quamdiu Scriptores Sinenses de rebus suis, aut in vicinia sua gestis tradunt, non sunt fraudandi fide; ast vbi de euentibus, qui in regionibus a se remotissimis acciderunt, mentionem iniiciunt, Scriptores Graeci, Arabes, ac Persae sunt omnino praeferendi; hi autem Maiorum nostrorum sedes magno consensu in oris Volganis locant, ipsos Mazaros compellant, horumque partem Pannoniam petiisse contestantur. *)

*) Idem Clarissimus Moderator, quum in genesi, ac migrationibus Finnorum quodam cum studio moratus, ad horum cum Hungaris, cognationem docendam diploma Stephani V. regis adhuc iunioris, produxit,

quo is exercitum in Sueciam misisse perhibetur; humanum quid passus est: Sueciam legendo pro Seruia. Vide Diploma anni MCCLXVIII. in Cod. Diplomatico.

§.53. Stephani Katona, ab infracto verum videndi, et asserendi studio, haustis item ab ore ipsius Historiae patriae notionibus mihi venerandi, testis ac dux, Ammianus Marcellinus nihil sane de origine Hunnorum (§. 12.) ad rem dixit: An non enim vltra paludes Maeotidis vsque glacialem Oceanum spatium immensum? An non gentes innumerae ac diuersissimae? An non Oeeanus ipse dupplex? Vbi ergo accoluerant? A quibus duxerant ortum? Consiterit nimirum Ammiano de Hunnis Fennis aliquid, ast nihil certi, de Caucasiis non item; ne nihil dicat, dixit nihilo simile. Originem Magyarorum vir Clarissimus Katona, quum ab Vturguris verisimiliter deduci haud posse, aduertisset, cate questionem in medio reliquit ita, vt ipsorum e regionibus Transuolganis emigrationem profiteretur. *)

*) RR. Katonaio singulari cedit merito, se primum infregisse argumentum ex idiomatum communione, ad definiendam gentium originem, sumi solitum: cum in iis multae voces et primigeniae sint, et per mutuum commercium duntaxat mutuatae; nec, quae gentes aliis antiquitate praeferendae sint, facile quis definiuerit. „Hanc regulam sequuti Slauos origine Latinos dicere possent: quum quod isti video, sedeo, sto etc. dicunt, ii vidim, sedim, stojim etc. exprimant" ait. Prodrom. Historiae M. Eccles. Colocen. p. 26. — 29.

§. 54. Celeberrimus Dan. Cornides, Bibliothecae Vniuersitatis huius regiae antea Custos, de Chunorum Attilanorum ortu, ac egressu testes in

Geographia minus exactos sequutus, nihil momenti ad rem protulit: regiones enim, ac populi vltra paludem Maeotidis ad Oceanum glacialem — item trans gelidum Tanain ad orientem siti, sunt oppido incerti. Inter emigrationesque Fennorum, quas RR. Prayus diligenter inuestigauit, ac recensuit (Diss. Historico-Criticarum Diss. III.) nullius in Pannoniam factae vestigium. Pariter dum Sedes Magyarorum, e quibus egressi sunt, intra fines Russici imperii statuit, indeterminate loquutus est; sensum verborum suorum ad Iugariam et Siberiam restringens, Iugariam, a Iuhria haud discernendo, in communem exterorum lapsus est errorem; Iugaria, populorum Finnicorum, ad Oceanum glacilem in Asiam borealem tenditur, Iuharia in medio prope Asiae, infra Hungariam Magnam, ad meridiem patebat. *)

*) Tanaim glacialem dici errore magno, cum ob rapiditatem nunquam glacie constringatur, norunt Geographi.

§. 55. Cl. Ios. Aloy. Kereszturi sententiam Stephani Katona — a qua tamen is recessit — professus, Magyaros cum Chunis Vturguris, mutato nomine, eosdem esse, haud euicit: nec enim patet Cuturguros et Vturguros, Chunorum Attilanorum ex Chaba, alias Irnacho, posteros fuisse; postquam ante Attilae, ac Chabae tempora apud Scriptores Graecos iam nominantur; irrefragabileque sit, Agathiae Scholastici testimonium: „Hunni (Vturguri et Cuturguri) fractis collapsisque tandem viribus penitus subuersi, deletique fuerunt adeo: vt patriam etiam appellationem amiserint; eoque calamitatis sunt redacti, vt si aliqua adhuc eorum pars

reliqua sit, sparsim aliis inseruiat, et ab illis appellationem acceperit; adeo vtique atroces poenas praeteritae suae impietatis luerunt. Absolutissima vero harum nationum euersio atque internecio postmodum (a Pseudo-Auaribus) accidit" Libro V. p. 119. edit. Ven. 171. edit. Paris. Theophanis proin Confessoris, Vturguros e sedibus auitis disparuisse, dicentis sententia, vel hunc in sensum trahenda, aut priori, atque probatiori cedat oportet.

§. 56. Chunos Attilanos ab Aloys. Belnai Calmucos, ob conuenientiam formae suae externae, non sine errore assertos fuisse (§. 7.) dubitauerit nemo, qui aduerterit: ex ea ad genus (vulgariter Raçe) negatiue duntaxat concludi posse, non etiam affirmatiue: cum ad illam modificandam non sanguis solum Parentum, sed et clima, victus, mores etc. suum exerant influxum; secus omnes sane Hungariae incolae, forma externa sibi multum similes, eodem e genere orti forent censendi. Nec firmius statuit Magyaros cum Finnis eosdem ex vocum nonnullarum similitudine, quae e Hunnica quoque generatione suum patitur explicatum; affinitatem vero inter Finnos et Magyaros nolumus inficiari. *)

*) Cl. Belnay vtiliorem in eo nauauit operam, quod Magyaros Chunorum Attilanorum esse progeniem, argumentis monstrauerit haud contemnendis p. 1.-9, l. c.

§. 57. Cl. Gregorii Dankovszky sententia Magyaros nostros cum Hunnis Sabiris, ipsi *Zavaris*, eosdem esse, e rationum, quas adduxit, momento est pensanda: 1). Testimonium Constantini Porphyrogennetae ad sensum suum interuertit; illud

in editionibus singulis, absque vlla lectione variante legitur continuo: „*'Ουκ 'Ελέγοντο δε τῷ τοτε χρὸνῳ τουρκοι, ἀλλὰ Σαβαρτοιὰςφαλοι ἒκ τινος αἰτίας Ε'πονομὰζοντο.*" Cap. XXXVIII. Item: *Καλοῦνται Σαβαρτοιὰςφαλοι.* Capitulo eodem Ipse interim legit: *Σαβαρ, ἤτοι σφαλλει*; tum semet ipsum corrigendo: *Σαβαρ, τοι 'σφαλλει.* Non tantum vocem partitur pro lubitu, sed et syllabas ac litteras mutat, addit, transponitque. Vocabulumque taliter a se fictum cum praemissis reddit: „Et quidem tunc temporis non Turci, sed Zavar, idest Zavar (confusi) quadam de causa dicebantur." Cum tamen verba praemissa intellecta semper sint: „Et quidem tunc temporis non Turcae, sed Sabartoeasphali dicebantur quadam de causa" Subin semet iteratim correxit: pro Zawar legendo: Zavár, tum Závár; primum vulgariter nullam, alterum pessuli vim habet. 2). Ex nomine Constantini: Lebedias finxit: Léveddig; Atelkuzu=Atel et Koisu; Chymas = Kimász; Kuban = Köben, Elburus =Elborult; Megere=Mejerö, a quo Mojer, Moger, Magyar etc. §. 13-16. l. c. 3). Maximam vim ponit in verbis Theodori Gazae, Scylacis narrationem in epistola ad Philelphum excitantis; quae graece adducit (Hung. Const. Orig. p. 3.), etsi nec de Hunnis Sabiris, nec de horum sedibus Caucasiis, sed de Turcis, modernorum primoribus, monte item Tauro, qui Caucasii brachium est, sonent; adduco verba versionis sincerae: „Scylax, qui Imperatorum res gestas a Nicephoro ex Genicis ad Isacium Comnenum, sub quo et ipse viuebat, prosecutus est, vir, si sententiam spectes, non contemnendus, etsi populari genere dicendi, quando illi placuit, vtatur, Turcas vni-

cam nationem fuisse narrat, et Septemtrionales Caucasi montis partes inhabitasse. Cum vero Arabes, potissima Asiae parte occupata, plures in praefecturas scissi fuissent, Moametem, Imbraëli filium, Persidis Dominum, sub Basilio, Romani filio, Romanorum Imperatore, bellum cum Babiloniis et Indis gerentem, et viribus inferiorem, a Turcarum Principe, capiti ac fortunis suis auxilium petiuisse; Turcam sagittarios 300. ter mille, et Trangolipicem, Michaëlis filium, qui eos duceret, misisse. Turcas praeclusum sibi antea aditum in Persidem patefecisse, et debellatis Persis, Arabibusque, qui ibi erant, omnibus, imperium suum protulisse, et Tangrolipicem Sultanum, quasi diceres, omnium moderatorem et principem, denominasse; tum Babyloniam, Arabiam, Mediam — Atropatinam, quae adhuc sub imperio Romano erat, et alia multa ex Romana ditione sibi subiecisse" Subiicit immediate Gaza: „Turcae itaque vt Scylax refert, e Caucaso monte exeuntes, deuictis Arabibus, deinde Romanis, imperarunt. Gemisthus vero, cognomento Pletho, qui hisce nostris temporibus prae ceteris Historiam sibi videtur arrogasse, P a r o p a m i s s a d a s esse Turcas, fatetur. Quare hi multum interse differunt: cum ille quidem e Caucaso, hic a Paropamisso Turcas erupisse referat" (Prius erant Paropamisadae, tum mutatis sedibus Caucasii; vt supra §. 52.) Vide plura Tud. Gyüjt. anni 1825. Ternione II. Quorsum ergo cum his Thrazonicis (liceat ita dicere): „Tantae molis erat Hunnicam condere gentem" Auitum Cognomen §. 42. Item: „Clarum Oraculum: Hungaros esse genere Hunnos (Zawaros)" Const. auitae Praef. p. VI.) Infallibilitatis priuilegium nemi-

ni, quod sciam, concessum est Historicorum; Dankovszkio omnium minime.

§. 58. Doct. Christianus Engel, dum Magyaros e gubernio Archangeli, nullis fultus Scriptorum testimoniis deducit, (§. 8.) antiquas canit naenias; ob creberrimos in Historia Hungariae errores, alioquin non paginis, sed Tomis refellendus; morari post iam dicta nos haud potest.

§. 59. Celeberrimus etiam Feszlerus sententiam, qua primores nostros, nullo nixus Testium praesidio, Mongoles fecit; quum Historiam Mongolum orientalium, suorumque Dynastarum, ex idiomate Mongolum per Is. Ios. Schmidt in Germanicum versum, liberalitateque Caesarea Russorum Imperantis Petropoli editum legerit, abnuet; pro suo que in veritatem studio, dum vixerit, reuocabit. Erant s. l. Mongoles cum Magyaris vicini, non iidem.

§. 60. Mirum videbitur nonnullis, me Magyarorum cognationem non Agarenis quoque attribuisse, quorum nomine Exteri, Annales praecipue Sangallenses, ipsos notare solebant; quin ipse adeo Onkelos, in paraphrasi Chaldaica Psalm. 82. v. 7. „Moab et A g a r e n i etc. pro Agareni diserte substituit: H u n g a r i. Neutiquam tamen mirandum: cum pro ea attestanda sufficientes mihi neutiquam suppetant rationes. A g a r e n i profecto iidem erant, qui S a r a c e n i: promiscue enim sumuntur Antiquis: „Imperator Heraclius Augustus, inquit Haytho (in Historia Orient. edit. Helmestadii M. D. LXXXV. p. 11—12.) Romanum administrans imperium, misit subsidium magnum Graecis, vt Ciuitatem Antiochiae, tuerentur a perfidis S a r a c e n i s; et dum gentes Imperatoris Heraclii ad quamdam planiciem peruenissent, quam Possene nominant, Sarraceni ex opposito venientes, cum

eis bellum crudelissimum ineunt; magna fuit quidem altercatio inter eos, sed obtinuerunt finaliter Agareni." Saracenorum vero Genesis et Magyarorum toto, vt dicunt, coelo differt: illam Scholiasta Haythonis sic exponit: „Certum est, Saracenos Ismaëlis, qui Abrahamo Patriarcha et Agare Ancilla natus fuit, progeniem esse. Quare de Agare principio Agareni dicti fuere. Patet id ex Ps. 83. Lib. I. Paralipom. C. V. e Barucho Vate Cap. 3. Romanae tamen Historiae et Agarenos et Saracenos agnoscunt. Quae res coniectandi nonnullis occasionem praebuit, vt gentis ambitione nomen posterius pro priore irrepsisse, existimauerint. Sic enim Isidorus L. IX. Etym.: „Saraceni quasi a Sara; et Agareni ab Agar." Et iterum: „Ipsi sunt et Ismaelitae, vt liber Genesis docet; ipsi Cedareni, a Cedar, filio Ismaëlis; ipsi Agareni ab Agar, qui, vt diximus, peruerso nomine Saraceni vocantur: quia ex Sara se genitos gloriantur." Hactenus Isidorus. Nec fors altera coniectura improbanda, si cui a Sarra dictos Sarracenos placeat. Extat enim ea vox apud Leonem Afrum L. I. qui Arabum lingua desertum significare ait; vt Sarracenos intelligas solitudinis incolas: nam tales quidem gentis sedes (primaeuas) fuisse constat. Quamuis credibile sit, opinionem de origine suorum a Sara etiam Mahometem, quo hoc pacto maiorem dogmati suo fidem facere conaretur, conformasse" Appendix ad eund. Hajtonem l. c. Eadem stetit etiam Bergeroni in Historia Saracenorum sententia: „Les Sarasins ont pris leur nom ou de Sara, femme d' Abraham, ou plutot du mot Arabe Essarac, ou Elsarac; c' est á dire: Voleurs, et bandoliers, qui etoit alors leur metier: Car ils courroient sanscesse sur les Marches circom

voisines á Arabie et Idumee, dont Ptolomee et Ammian font mention. Aussi leur voisins les qualifierent de ce nom la. Ils furent aussi appelleez Agarenes et Ismaelites, comme descendus d' Ismaël, fils d' Abraham et d' Agar. " Cur nomine nationis tam distinctae, ac longinquae Magyaros nostros compellauerint? respondere cum clarissimo Strittero duntaxat possum: „In nominibus prodendis incredibilis est Scriptorum inconstantia, et in eis enunciandis negligentia. Eumdem enim populum alii auctores aliis, quid? et idem Auctor nominibus maxime diuersis vocat. Constantinus Porphyrogenneta, vt crimine ab vno discas omnes, Attilam Hunnorum, Auarorum, qui Attilae temporibus in vltimo adhuc oriente degebant, regem, et Auaros Slauos vocat" in Praef. ad Memoriam Popul. Tom. I. p. XVI.

§. 61. His, quae in concinnando Codice Hungariae Diplomatico hac super quaestione in mentem venerant, praecipitato vtut labore, descripsi sine odio et studio; quae ad modum passionum, dum animum corripuerunt, ita simul mentem occupant, vt inuia sit veritati, nec siluam, vt dicunt, videat prae arboribus. Cui malo, quum lectissimorum etiam virorum ingenia sint obnoxia; fit vt audiri solum velint, non item audire; in tuendaque sententia sua constantiae laudem sectentur. In huius imbecilitatis humanae censum vocandae sane sunt, parte maxima, contentiones, ac rixae, quae in quaestione, quam illustraui, dilucidationem hucdum eluserunt; nec ideo spes, vt seu exteri benigniores in discernendis Maioribus nostris fiant, seu domestici, quibusuis inclinati rationum momentis, in vnam de natalibus Maiorum nostro-

rum cedant sententiam, vel ad minus seruato moderamine depugnent. Quidquid fiat: debitum Moderatoribus meis aestimatissimis cultum penso hoc solui; fructus, quos, Vniuersitati Regiae Hungaricae, parte vitae meae optima deditus, carpseram, pro semisèculari eiusdem curriculo protuli; codici Hungariae Diplomatico, quem orsus sum, coronidem imposui; spero me et gratitudinis et pietatis, Patriae et Academici ciuis partes — pro viribus — apud aequos arbitros expleuisse.